SACRA NATALITIA

GUILIELMI

WÜRTTEMBERGIAE REGIS AUGUSTISSIMI, CLEMENTISSIMI

V. CALENDAS OCTOBRES MDCCCL

CELEBRANDA INDICIT

CAR. GUIL. THEOPH. KÖSTLIN,

SEMINARII REGII EVANGELICO-THEOLOGICI, QUOD URACI EST, EPHORUS.

Insunt:

I. *Quaestiones Lucianeae.* Libelli Lucianei tempore atque ordine disponuntur, eorumque argumenta ita enarrantur, ut, quid de Luciani satira, philosophia librorumque nonnullorum, qui videbantur historici, fide judicandum sit, appareat. scripsit **Ad. Planck.**

II. Nachrichten über das K. Seminar zu Urach.

EVANG. CONSISTORIUM IN WÜRTTEMBERG
DES OBERKIRCHENRATH

A 24 | Urach
- 1846/50 -

Präsenz

TUBINGAE,

EX OFFICINA LUDOV. FRIEDER. FUES.

MDCCCL.

SWB V
BL V
208 Y

Luc. Plut. Polyb.
Strab. Liv. Paus.

SUB V

LUCIANUS SAMOSATENSIS ut inter scriptores Graecos, qui primo et secundo post Chr. n. seculo floruere, facile principatum obtinet et summa in dicendo festivitate atque elegantia et maxima rerum ab eo expositarum varietate et copia, ita ex quo tempore litterarum studia instaurari coepta sunt, grammaticorum hominum acutissima ingenia quam maxime exercuit. Quas Photius [1]) nostro jam tribuerat laudes propter sermonis graeci integritatem atque perspicuitatem eamque compositionis suavitatem, qua ut jucundissimo carmine audientium permulceantur animi, earum summus admirator imitatorque exstitit Erasmus [2]), qui Horatianum illud — ut misceatur utile dulci — aut Lucianum judicavit assecutum esse aut neminem. Tantum enim prae se ferre Lucianum in dicendo gratiae, in inveniendo felicitatis, tantum in jocando leporis, in mordendo aceti, et hominum mores, affectus, studia quasi penicillo depicta tanta arte oculis legentium subjicere, ut nulla satira, nulla comoedia cum hujus dialogis possit comparari. Erasmi interpretationem versionesque auxerunt et emendaverunt, qui usque ad haec nostra tempora grammaticorum (ut cum Horatio loquar) equitum doctissimi feruntur, Bourdelotius, Palmerius, Tan. Faber, Gronovius, Clericus, Moses Solanus et qui criticae artis laude inter omnes eminet Tib. Hemsterhusius. Gesneri porro acumine et Reitzii diligentia mirum quantum illustrata Luciani opera Wielandii luculentissima versione in omnium ora manusque pervenerunt. Post hos K. G. Jacobus [3]) de Luciani scriptis, aetate, moribus insignem doctrina librum composuit, quem secuti sunt Struvius [4]) et Wetzlarius [5]), postquam de Luciani philosophia et de ratione, quae illi cum Christianis intercesserit aliisque quaestionibus jam ante disputaverant alii [6]). — Quorum doctissimorum hominum industria quum plurimae quaestiones Lucianeae satis explicatae sint, supersunt tamen nonnullae, in quas accuratius inquirere operae pretium mihi videbatur, quoniam ab aliis aut omissae essent aut inchoatae quidem sed parum confectae.

Sunt autem ejus generis haec maxime. Luciani octoginta circiter libelli quum in omnibus editionibus exstent nullo ordine dispositi, (disjecta quasi et dilacerata membra poëtae) lectoribus summam inde parari molestiam, res vero a Luciano enarratas turpissima ordinis perversione obscurari

---

1) Biblioth. ed. Bekker p. 96. cod. 128.

2) Epist. Lugd. 1706 in append. p. 1862 epist. 475; auctor est idem, Chrysostomum ex Luciani Cynico nonnulla in commentationes, quas de Evang. Joannis scripsit inseruisse.

3) Charakteristik Lucian's von Samosata 1832.

4) De Luciani aetate et vita specimina duo Gorlicii 1829. 30.

5) Commentatio de Luciani aetate, vita, scriptis Marburgi 1834.

6) Ut Tiemann, Versuch über Lucians Philosophie und Sprache 1804. F. V. Fritzsche de Atticismo et orthographia Luciani 1828. Chlebus de Luciano philosopho 1838; quorum commentationes ad meas manus non pervenisse doleo. Insignem doctrina judiciique acumine commentationem, qua Lucianus a crimine librorum sacrorum irrisorum liberatur, scripsit Kühn Grimmae 1844.

multifariam, dudum conqueruntur homines philologi. Quorum alteri [7]) de re ad felicem exitum perducenda desperaverunt, alteri [8]) melius viam quandam ac rationem, ad quas institui posset dispositio, adumbravere [9]). — At superest alia etiam quaestio, quae tacta olim a Dahlmannio [10]), a recentioribus neglecta, summi mihi esse videtur ad Luciani opera recte intelligenda momenti. Qui vir sagacissimus, quum in iis, quas de rebus in historia obscuris scripsit, disquisitionibus, Lucianum falsa protulisse de lectis Olympiae Herodoti libris, demonstrare conaretur, plura eademque subtiliter disputavit de fide, quae Luciano in rebus historicis tribuenda sit. Scimus quidem, a plurimis defendi hodie lectionem istam Herodoteam, quibus Dahlmannii argumenta subtiliora videantur quam veriora; reliquas vero, quas Dahlmannius de Luciani fide movit dubitationes, mea quidem sententia tantum abest ut sustulerint Jacobus [11]) alii, ut graviori etiam ampliorique mihi videatur res egere disputatione. Qua in re, quum Dahlmannius de levioribus quibusdam rebus dubitaverit, illud maxime mihi videtur inquirendum, utrum Lucianus in amplioribus libellis, quibus Peregrini Protei, Alexandri Abonot., (Demonactis) vitam descripsit, historici tenere voluerit partes an satirici et poëtae. Quod nisi accuratius fuerit exploratum definitumque, quid in Luciano ad argumentorum splendidiorem elegantioremque descriptionem, quid ad veram historiae enarrationem referendum sit, ne de vita quidem Luciani plana erunt omnia, cujus rei argumento sunt Struvius et Wetzlarius. Itaque altera quaestio versari debet in eo, num Luciano habenda sit fides, ubi historico sermone narrare videtur. Quae omnia, ne fines hujusmodi scriptionum nimis excedamus, quam poterimus brevissime, ubi librorum supra dictorum facienda erit mentio, attingemus. Rothius [12]) vero, qui de satirae Romanae indole doctissime acutissimeque nuper scripsit, cum in ea quaestione Lucianum quoque attigerit eumque satiricorum ordine dejecerit, ad ea etiam pauca dicere in animo est. Quae vero a theologis motae sunt quaestiones, alio loco fusius tractavimus [13]). Itaque in eo versabitur nostra disputatio, ut quo ordine sese exceperint libelli Lucianei demonstremus. Argumenta vero eorundem quam brevissime exponemus ita, ut, quid de Lucianeae satirae indole, ejusdem de philosophia et de fide librorum nonnullorum, qui videbantur historici, judicandum sit, appareat.

---

7) Ut Reitzius in sylloge de aetate, vita, scriptis Luciani, ed. Bipont. I, LV, ss. Lehmann ed. Luciani 1822 I, XIV, qui „gravioribus implicitus difficultatibus ordini consueto in vulgi gratiam immanere malebat,“ et Rankius in commentatione: Pollux et Lucianus 1831 p. 14 ss.

8) Schlosserus, universalhist. Uebersicht III, 2. S. 221 ad rite disponendos Luciani libellos viam munivit adumbravitque descriptionem, quam secutus videtur etiam Preller, qui de Luciano egit Pauly Realencyklop. IV, 1165.

9) Car. Jacobitzium, qui nuperrime edidit Luciani opera 1836—41 omnem hanc quaestionem ne verbo quidem attigisse, miror.

10) Dahlmann, Forschungen auf dem Gebiet der Geschichte II, 26 flg.

11) Libro laudato pag. 126—140.

12) Schönthaler Programm von 1844.

13) Quam de Peregrino Proteo, Lucianique de rebus Christianorum judicio et de sacris eorum libris Luciano fama cognitis instituimus triplicem commentationem, ei in commentariis theologicis, qui proximo anno (1851) emittentur, locum paratum iri, litteris ad me datis, qui illis edendis praeest, scripsit D. Ullmannius Heidelbergensis.

Quod Schleiermacheri, Astii, C. F. Herrmanni diligentia in Platonis effectum est operibus, ut continuationem quandam seriemque invenirent, qua alii ex aliis nexi dialogi et omnes inter se apti colligatique viderentur, id in Platone facilius potuere assequi, quod augustissima ejus mens gradibus aetatis quasi adolescens, Socrate mortuo philosophorum Eleaticorum et Pythagoreorum disciplinis imbuta ad maturitatem suo quasi itinere pervenit. Idem num in Plutarchi nonaginta fere libris de philosophia morali scriptis fieri possit, viderint alii. In Luciano difficile est ad ordinem quendam revocare libros, quia varius ejus animus et per omnem vitam inconstans diversissimarum rerum studiis se dabat. Ut sophistis aetatis illius erat proprium, orbem quasi quendam artium literarumque complecti et de nulla re non scire copiose et eleganter disputare, ita Lucianus etiam plurimarum rerum scientiam comprehendebat. Itaque qui primum in Luciani libris explicandis elaboravere viri docti, multi sunt in laudanda ejus doctrina, nec est ullum scientiae genus, in quo ille non eximius fuisse dicatur. Risu sane excipiendus Zwingerus, qui, cum Lucianum ut verae virtutis exemplar proposuerat, illum praeterea fuisse demonstret logicum, poëtam, rhetorem, oeconomicum, medicum, philosophum, politicum, organicum. Ad ethicam scilicet referri vult disciplinam dialogos Luciani meretricios, oeconomica autem tetigisse eum putat in Imaginibus, ubi mulierum virtutes descripserit. Nihilo rectius Bourdelotius [14]), qui unicum virtutis praedicat Lucianum magistrum; quorum enim vita inertia languescat, eorum animos in pecudes, asinos transire, Lucianum in Lucio sive asino ait demonstrasse. Quae quamvis sint absurda, ea tamen de causa haud absurdum videbatur proferre, quod etiam nunc sunt, qui Luciani libros *materiae* potissimum, in qua versentur singuli libelli, habita ratione disponendos arbitrantur. At haberes ita tot fere genera librorum, quot libellos, quoniam infinito quasi spatio excurrens in qualicumque materia versatur Luciani satira. Adde quod amoenissime omnia, ut in lance satura, Lucianus miscendo in uno eodemque libello philosophos, rhetores, poëtas, Deos — ut paucis — humana ac divina omnia defricuit sale multo. In aliis oratione magnifica et ad ostentationem comparata animos hominum sibi conciliat, ut in decem fere quas scripsit προσλαλιὰς, quae sunt ex genere orationis demonstrativo; nec, quae adjecere veteres huic generi judiciale et deliberativum, desunt in Luciani libris, quippe qui ut rhetor et causarum actor libellos conscripserit, qui discentibus ad imitationem et aemulationem quasi proponerentur; nec philosophiam aut historiam neglexerat. Vides igitur in tanta rerum omnium farragine viam quandam ac rationem, ad quas certus libellorum institui possit ordo, nusquam apparere.

Sin vero *formam* potius dictionisque genus, quod in libellis secutus sit Lucianus, spectanda esse judicaveris, alios fabularum, quae ab histrionibus in scena aguntur, in morem compositos reperies, alios epistolarum ad amicos datarum vel commentariorum continente sermone explicatos videbis. Quae vero pluribus locis Lucianus [15]) de dialogi forma, qualem ipse Platonem cum Aristophane conjungendo invenerit, dixit, argumento quidem sunt, quam gravis sit in ordinandis Luciani libris formae et sermonis consideratio; at scripsit et postea libellos mutato sermonis genere, ut scripserat dialogos facetos et Aristophanis lectionem redolentes antea. Ita cum neque ex forma, qua scripti sunt dialogi, neque ex materia, in qua versantur, certum aliquid efficiatur, unde rite disponi possint libelli, superest, ut ex temporum hominumque descriptione et ex iis, quae Lucianus de se ipso, de

14) cf. ed. Bipont. I. praefatio p. 7. 12 ss. 17.

15) Conf. bis accus. 33. 34. Prometh. in verb. 7. 3. 5.

studiorum vitaeque institutione, de juventute et senectute protulit, colligas, quantum possis, tempora et ordines librorum. Ita in Alexandro Abonot. Marcum Aurelium nominat θεὸν, (cap. 48) quod nomen mortuis demum Imperatoribus tributum esse constat, quamvis essent, qui viventes etiam divi haberentur [16]). Ex aequalibus, quos viventes aut paullo ante mortuos indicat, pauca concluseris. Philostratus enim, ut ne nominat quidem inter sophistas, quorum vitas exposuit, Lucianum, ita quos Lucianus extollit laudibus, silentio praeterit, — odio, ut mihi quidem videtur, in Lucianum accensus, quum diversissimis essent ingeniis, religiosus et superstitiosus alter, alter ab omni religione alienissimus. Epicteti apud utrumque fit mentio, at, quo anno de vita decesserit, ignoramus. Celsum ut amicissimum alloquitur Lucianus in Alexandro, Epicurique indicat eum fuisse admiratorem et contra magos ab eo scriptos libros, de quibus Origenes etiam loquitur. At Celsus Origeneus a Lucianeo multis in rebus videtur diversus et de vita vitaeque fine Celsi incerta sunt omnia [17]). Nec Arriani, quem laudat noster, (Alex. 2) nec Apollonii Tyanei (Alex. 5), nec Demonactis, nec Peregrini Protei vitae satis ex aliis scriptoribus sunt notae. Tatianus quidem apologeta, qui cum Luciano eadem utebatur patria et quem anno 174 mortuum esse Danielus probavit, Peregrini Protei descriptionem Lucianeam legisse mihi videtur, idemque demonstrari potest de Athenagora [18]), quare Peregrinum circa annum 170 scriptum esse licet suspicari. De historia conscribenda ubi agit Lucianus, belli Parthici, quod Lucius Verus annis 162—165 gessit [19]) mentionem facit. Aliis libellis de se ut sene loquitur, ut in Hercule (1. 7.) Baccho, (6. 8.), et in Apologia pro mercede conductis (4. 10); alii res quas antea scripserat, accuratius definiunt vel defendunt, ut pro imaginibus, alii; fugitivos post Peregrinum scriptos ipsum libri initium satis demonstrat. — Plurimum vero lucis ad nostram quaestionem affertur ex vita Luciani vitaeque institutis, de quibus ipse satis multa dixit, unde dispositionem librorum possis adumbrare. Quae quum ab hominibus doctis satis superque disputata sint, quambrevissime exponere in animo est.

Natum esse inter omnes constat Lucianum Samosatis, quae urbs ad Euphratem sita Commagenes, Syriae regionis, erat metropolis, unde Syrum vel Assyrium se pluribus locis nominat (de hist. conscr. 24; Pisc. 19; Scytha 9; adv. ind. 19.). Annus [20]) natalis nulla arte constitui potuit; at certissimum est, Lucianum circiter annis p. Chr. n. 120—200 vixisse. Quae ad quaestionem nostram sunt gravissima, legimus in somnio sive vita Luciani. Parentibus utebatur, ut videtur, pauperibus, quare pater avunculo puerum tradidit artis statuariae peritissimo, qui Lucianum eadem imbueret arte. At primis statim diebus Luciano durius impingente frangitur tabula; avunculus, ut homo inhumanus, gravissime verberat puerum, quare ad literarum studia se convertere decrevit adolescentulus, somnii visione, ut Prodicum Ceum imitando fingit, ad meliora ista capes-

---

16) conf. Capitol. in vita Anton. Philosophi 18.

17) quae quum ad theologorum videantur magis referenda studia, de Celso copiosius disputavimus in commentatione not. 15) laudata.

18) conf. Tat. orat. ad Graecos 25 ed. Maur. Par. 1742 pag. 265; ibid. Athenag. leg. pro Christianis 26, pag. 304. Daniel, Tatian der Apologete, 1837.

19) conf. quae C. F. Hermannus in editione hujus libelli p. XV—XVII de bello illo exposuit.

20) de hac quaestione amplius disputavit Wetzlar l. l. pag. 5—12; argumenta autem, quibus annum 125 natalem fuisse statuit Luciani, mihi subtiliora videntur quam veriora.

senda adductus. Non enim lapidum, ut ait Zwingerus, sed animorum scabrities ei erat perpolienda et, ut ipse egregie dixit, (Somn. 15) Triptolemi instar semina eruditionis ubique terrarum voluit spargere. Itaque in Joniam profectus est, ubi barbari etiamtum sermonis asperam et horridam dictionem Atticorum pura et incorrupta consuetudine emendaret. Qua in Joniae urbe quibusque praeceptoribus eruditus sit, ignoramus. At bene Wetzlarius [21]) Smyrnam vel Ephesum suspicatus est, quo undique confluxisse homines literarum studiosos Philostratus testatur. Jam quid in arte rhetorica profecerit, ubi causas egerit causarumque agendarum magister exstiterit, ab ipso audiamus. In dialogo, qui inscribitur bis accusatus, Rhetorica ita fere (cap. 27. 28) loquitur: „ego hunc admodum adolescentem, lingua barbarum, circa Joniam oberrantem institui, multisque orationibus adjutum civem feci et nobilem celebremque reddidi; in Graecia quidem et Jonia mediocriter floruit (*τὰ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος καὶ Ἰωνίας μέτρια*, 27); quum vero vellet in Italiam se conferre, Jonium sinum cum eo trajeci; denique (*καὶ τὰ τελευταῖα*) in Celticam usque Galliam cum eo profecta illum locupletavi.“ In Celtica se olim, cum rhetoricam exerceret artem, maximas mercedes [22]) tulisse (*τοῖς μεγαλομίσθοις τῶν σοφιστῶν ἐναριθμούμενος*) ipse narrat in Apologia pro merc. cond. (15). Lugduni per decem fere annos fuisse suspicor Lucianum, qua in urbe, ut ex Irenaeo et Eusebio colligi potest, florebant tum artium liberalium studia. Postea Lucianum ubique sophistarum more peregrinantem, Romae, Athenis, Philippis vel Thessalonicae, Corinthi, Ephesi, ubi libellos recitaret, invenimus; et quum Peregrinus Proteus rogum sua manu accensum conscenderet, quartum se spectasse ait Olympia (Peregr. 35). Idem quum in aliis libellis reditum in patriam indicet, (Alex.) cum Hierapolim nominet et Paphlagoniae urbem Abonoteichum et iter Aegyptiacum tot tamque dissentientes prolatae sunt de Luciani itineribus opiniones, ut nemo suam stabilire possit, quin contradicant reliqui. Ea vero ut ad Luciani libellos rite aestimandos et disponendos paucum faciunt, ita per se accuratiori inquisitione parum videntur esse digna. Sufficit scire, eum ubique gentium versatum esse, ut recitandis opusculis gloriam mercedemque consequeretur. Quod dictum volumus de recitationibus (*προσλαλιαῖς*), quas commissiones dixere posteriores scriptores, (ut Sueton. Cal. 53; Aug. 89; coll. Casaub.) et in quibus verborum concinnitate rerumque venustate delectatione quadam allicere voluit audientium animos. Eum per viginti fere annos artem rhetoricam et grammaticam exercuisse mercedemque ab Imperatore ipsi tributam esse, satis est scire. Wetzlarius autem, quae in Hermotimo per risum dicta sunt, severe interpretatus errasse mihi videtur. Nec audiendus est Suidas, qui Antiochiae Lucianum causas egisse sine ulla ratione prodidit. Mirandum sane, quod Wetzlarius, qui alia doctissime exposuit, ex iis, quae Lucianus de dea Syria et Hierapoli narravit portentosa, iter a Luciano adolescentulo in istas regiones susceptum conclusit (pag. 31). Quae enim in eo libro a Luciano narrantur ita sunt narrata, ut Herodoti credula facilitas, superstitio, universumque narrationis genus rideatur. Quare ficta esse omnia nemo non videt, quae Lucianus de cincinnis, quos ipse in templo desectos in vasculis argenteis adscripto nomine deposuerit, quae de Adonidis orgiis et de capite Osiris Aegyptii, quod singulis annis ab Aegypto Byblum usque nulla hominum directione natet, protulit.

---

21) l. l. p. 27. Philostr. vit. soph. ed. Olearius, p. 516. 613.

22) qua de re conf. Capitolinum in vita Anton. et Luciani Eunuchum 3., ubi senatum quasi academicum, quales hodie sunt, invenimus. cf. etiam Cresollii theatr. rhet. in Gronovii thes. X, 3, 13.

Nam quum et id ipsum, quod Lucianus res istas suis oculis se vidisse affirmat, in cavillationem Herodoti dictum sit, omnino num istas regiones perlustraverit dubitari potest. Idem dicendum videtur de itinere, quod in libro de Amoribus Rhodum et Cnidum cum duobus amicis susceptum narrat. Nam quum de amoris generibus instituere vellet disputationem, celeberrimum, quod Cnidi erat, Veneris templum, aptissimam quasi scenam praebebat, ubi ordiretur dialogus. In Aegypto num adolescens fuerit Lucianus, dubitamus. De Luctu enim librum, ubi Aegyptiaca quae viderit narrat (*λέγω δὲ ἰδών*, 21) senex scripsit Lucianus. Ex Pseudologista (sive Apophrade) autem, ubi adversario cuidam turpissima objiciuntur scelera in Palaestina, Aegypto, Phoenicia commissa, falso conclusit Wetzlarius (p. 34 nota), Lucianum ista, cum ipse in Aegypto versaretur, audivisse. Est unus tantum locus (Pseudosophista sive Soloecista 5) ubi grammaticum, quem ipse in Aegypto viderit, (*Σωκράτης ἀπὸ Μόψου, ᾧ συνεγενόμην ἐν Αἰγύπτῳ*) memorat. Qui si vere est grammaticus, iter illud Aegyptiacum concedimus; sed ut in Rhetorum praeceptore (17) id quoque inter absurditates sophistarum memoratur, quod ad scriptorum, qui nunquam fuerant, provocaverint auctoritatem, ita idem per jocum Lucianum hoc loco fecisse credibile est. At cum satis propinqua essent Samosatis ista loca et Lucianus vitae suae institutione ad itinera suscipienda ultro duceretur, concedimus quidem, illas urbes regionesque ab eo visitatas, sed tempora et annos, quibus illas peregrinationes susceperit, statui iisdemque ad disponendos libellos effici aliquid posse negamus.

Restat, ut ex Luciani vita, quae Gallicam commorationem secuta sint, describamus. Nobis quidem Lucianus relicta Gallia profectus esse videtur Romam, ubi Nigrini Platonici disputationes et familiaritatem cum rhetoricis commutaret artibus. Roma vero propter morum vitaeque turpitudinem relicta in Graeciam se convertit, ubi totum se daret philosophiae. Quae quum ad disponendos libellos sint gravissima, ipse Lucianus vitae commutatae causas nobis enarret. „Relicta arte rhetorica (in bis acc. 30 ss. coram judicibus dicit) cur ad dialogum (i. e. philosophiam) me converterim, audite judices. Ego enim videbam, illam neglecta moderatione decentem etiam habitum reliquisse, quo Demosthenis aetate incesserat. Ornat enim sese jamjam rhetorica et capillos meretricio more disponit. Mihi vero, etiamsi nihil ejusmodi ab ea peccatum fuisset, licere debebat, *ut quadraginta* annorum viro, a tumultibus illis et litibus discedere missisque tyrannorum accusationibus et laudibus virorum fortium in Academiam et Lyceum transmigrare placideque ibi disputare.“ Eadem fere protulit Lucianus in Piscatore (seu reviv. 25. 29.) ubi perspexisse se ait, molestissimas et homine liberali indignissimas res cum causidicorum ratione conjunctas esse, ut mendacia, clamores, conflictationes etc. — refugisse igitur se ab istis rebus animumque ad philosophiam direxisse, cujus sereno quasi portu tot procellis agitatus conquiesceret. Idem in Hermotimo (2. 13. 24.) de se loquitur ut *quadraginta* annorum homine, qui philosophiae serio dare se velit; jam quindecim annis ante ab seniore viro (quem Nigrinum fuisse Wetzlarius suspicatur) sibi ejusmodi studia commendata fuisse, cui propter inscientiam morem non gesserit. Athenarum vero urbem ut antiquissimam augustissimamque artium liberalium sedem elegisse sibi Lucianum, ut ex Nigrino, ubi summis hanc urbem affert laudibus, ita ex Demonacte demonstratur, ubi (11.) Atheniensi illi philosopho per plurimum tempus interfuisse se narrat. Lucianus cum ex arte rhetorica satis divitiarum sibi videatur comparasse, in legendis veterum philosophorum recentiorumque scriptorum libris otio versari potuit. Nec tamen omnino intermisisse videtur recitationes istas in urbibus Graeciae habendas, ne nimis mature de gloriae apud aequales comparatae dejiceretur amplitudine. —

Athenis per viginti fere annos versatum Lucianum, Athenis egregios libellos, quos hodie mirantur omnes, conscriptos, omnes fere consentiunt. Itaque nobis ex ipsis Luciani verbis is instituendus esse videtur ordo, ut in hac secunda vitae Lucianeae parte primo loco numerentur dialogi, quibus rhetorum arrogantia et stultitia, grammaticorumque molestissima cum fuco conjuncta doctrina castigatur; secundo illi libri, quibus philosophia serio tractatur; Rhetorum praeceptorem dico, Nigrinum, Cynicum, quem mox insequebatur Hermotimus, ubi ridentur jamjam philosophi. Lucianus enim ut erat ingenio inconstans et ad res graviter tractandas, et ad veritatis vestigia in tanta philosophantium discrepantia invenienda, parum aptus et compositus, ita brevi propter sordidissimos aequalium philosophorum mores, qui praeter barbas prolixas, baculos et peras nil haberent, unde philosophorum nomen sibi vindicarent, omnis philosophiae acerbissimus exstitit inimicus atque irrisor.

Nec vero, ut scholarum sua aetate florentium et disciplinarum arte quadam et via ad veritatem perfectam progredientium erat contemtor, ita fructum, qui ex artium liberalium philosophorumque veterum studiis ad perpoliendos et excolendos animos redundare possit, negligebat. Immo, summae ab eo veteribus tribuuntur laudes, nec erant cuiquam ea studia, quibus hodie ad humanitatem erudiuntur adolescentes, antiquiora aut cariora. Itaque relictis philosophorum spinosioribus quaestionibus, quae subtiliorem quandam desiderarent rationem, ea potius legere et scribere malebat, unde ad vitae usum animosque aequalium vel emendandos vel delectandos aliquid efficeret. Ita de historia conscribenda graviter eum audimus disputantem, imagines et opera artificum elegantissime describentem, et quae recta et convenientia essent in artibus, melius perspexerat, quam Pausanias. At ad jocum magis quam ad res serias quum Lucianus inclinaret natura, ad satiram scribendam, quam non scribere difficile esset illis temporibus, ultro ducebatur, cum jam antea, ut videtur, edidisset ex fabularum, quas vocant, Milesiarum genere ludicra quaedam literaria, quorum voluptaria lectione aequalium delenirentur sensus, quod voluit assequi libris, qui inscribuntur Lucius s. asinus, Amores et Verae historiae. Num vero Lucianus, qui inter satiras notissimi sunt, dialogos Deorum et mortuorum Antoninis imperantibus suo nomine inscripto in vulgus emiserit, nos valde dubitamus; nemo enim nescit, quantus honos ab istis imperatoribus tributus sit oraculis, mysteriis reliquisque Graecorum superstitionibus, Deorumque irrisores Roma saepe pulsos.

Ita cum Lucianus per longissimam annorum seriem, quid studium et benigna vena ingeni posset, libellis suis ostendisset, ingravescente paullatim aetate vitae literariae genus cum alio commutare coactus est. Canescentem igitur videmus quodammodo et languidiorem ejus orationem, quamvis ipse aliter de se judicaverit. In Baccho enim (6. 7) senex ridiculas de se res narrat, in Hercule autem (7. 8) licet effugerit corporis robur, celeritas, pulcritudo, dicendi copiam nunc demum ad maturitatem pervenisse affirmat, nec vacuam esse pharetram sagittis, quibus hominum animi suaviter feriantur. At minori jam quum ab aequalibus exciperetur plausu, ne turpem degeret senectam, nec cithara carentem, in Aegyptum profectus est senex, ubi munus honorificum et quaestuosum (πολυτάλαντος μισθὸς) sibi a rege (Severo, ut multis placet) delatum suscepit. Praefectum enim Aegypti in causis judiciisque regendis judicumque sententiis in tabulas publicas referendis [23]) promulgandisve

23) Jacobus in vita Luciani l. l. pag. 42. falso dicit: Lucian war Gerichtsschreiber oder Gehülfe des städtischen Beamten; ea enim, quae de munere publico Lucianus dixit, cum videntur indicare magistratum, quem hodie vocamus rectorem sive praesidem collegii judicialis (Kanzleidirektor).

adjuvabat. (Apol. 12.) Quod munus in provincia administranda gravissimum spem etiam praebuit Luciano altioris dignitatis obtinendae, ut universae alicui provinciae praeficeretur, aut aliae actiones regiae ipsi mandarentur. Quod num obtinuerit Lucianus, quam diu vixerit, ubi mortuus, ubi sepultus sit, ignoramus. In Eunucho (13) filium sibi esse, in Navigio (11) mysteriis initiatum se fuisse videtur indicare; cetera ex vita ejus privata ignoramus. Podagra eum laborasse ex carminibus, quae in ejus operibus leguntur, Tragopodagra et Ocypus, concluserunt nonnulli; Cassii vero, qui contra Marcum Aurelium conjuraverat, amicum fuisse Lucianum, infestoque contra Antoninos animo, demonstrari non potest.

Quae omnia reliquae disputationi praemunienda videbantur, quo facilius ordo continuatioque libellorum posset institui. Sunt igitur *tria* maxime *scriptorum genera Lucianeorum. Primum* libellorum ab annis circ. 140—160 scriptorum *genus circa artis rhetoricae et grammaticae versatur studia; secundum* genus *philosophiam*, cui Romae Athenisque operam dare coepit, *serio* tractat, explosis rhetorum praeceptis. Pauci tantum ejus generis exstant libelli annis 160—165, ut putamus, compositi; quos excipit genus *tertium* maxima ex parte *satiricum*. Quae autem hominum vitia satiris suis exagitaverit, ipsa librorum docebunt argumenta; ii vero libri, qui a Luciano non esse videntur profecti, sub finem disputationis indicabuntur.

Primum, ut nobis videtur, opusculum Lucianus, quum in Jonia versaretur adolescens, jonica dialecto scripsit 1. *de astrologia*. Imitatur in eo haud inepte Herodotum et licet ingenii aciem sermonisque desideraveris concinnitatem, tamen imbecilli et superstitiosi hominis hunc esse foetum Kustero, Heynio, aliis non concedes. Agit Lucianus de astrologiae initiis et auctoritate ac de fide illi habenda. Fabulas quasdam de diis et heroibus ad hanc artem referendas putat, ut Stoici quoque vulgi de diis opiniones ad physicam interpretationem revocabant. Mirum sane, quam alienus Lucianus a Deorum irrisione tum fuerit, quum ista scriberet (20—22.); at ut maximae res ita splendidissima etiam ingenia a minimis saepissime proficiscuntur initiis, quorum vestigia in iis, quae seriori aetate scripserunt, vix invenereris. Ita tenue etiamtum Luciani ingenium astrologiam cum astronomia confundit et discipuli in morem omnia, quae de gentibus remotissimis earumque de moribus a magistris vel ex libris didicerat, expromit. Nos vero latentem in adolescentulo ingenii scintillam in hoc libello quum conspicere nobis videamur, genuinum esse eum statuimus [24]). Eadem judicanda putamus de 2. *Charidemo s. de pulchritudine* libello, in quo Lucianus, ut Plato in symposio, tres convivas inducit, a quibus pulchritudinis laudes triplici ratione celebrantur. Scribendi artem et facilitatem magis Lucianus, quum istum componeret libellum, exercuerat, quam ingenii in rebus recte disponendis ac definiendis aciem; at quamvis concedamus doctissimo Lehmannio (IX, 612) scriptorem quendam juvenilem, quae ex Xenophonte, Platone, Isocrate, collegerat, proferre voluisse, a Luciano non potuisse scribi hunc libellum negamus. Miro sane argumento in Luciani adolescentuli sermonem dicendique rationem ex incorrupta, qua provectus aetate utebatur, sermonis urbanitate et elegantia, fit impetus. Erat enim Luciano, quum Assyria uteretur patria, Atticorum consuetudo cum multa contentione addiscenda, ut ipse dixit in rhetorum praeceptore (8), Lexiphane (22) aliis-

24) Conf. Wetzlar p. 21. Pauly Uebersetzung S. 919: Dieses schwache und zum Theil absurde Produk könne kaum auch nur für eine verunglückte Jugendarbeit Lucians gehalten werden. Lehmanni sententiam V, 536 sequutus videtur Paulyus in primo et qui sequitur Charidemi libello.

que locis. Nec rerum magis tenuitate vel levitate offendatur, qui reputaverit, post mortem fortasse Luciani istas scriptiones dicendique exercitationes ex capsis ejus collectas in vulgus emanasse. Adde quod vel in iis, qui ab omnibus genuini habentur libri, plura deprehenduntur, quae tollenda videantur; quare ne eos quidem omnino ex Luciani operibus rejiciendos putaveris, in quibus plura quidem tollenda relinquendis videantur. Tuemur iisdem de caussis contra criticorum quorundam impetus 3. libellum qui inscribitur *patriae* (urbis) *encomium*. In hoc etiam, quae Socrates apud Platonem (in Critone) in laudem urbis patriae dixerat, imitans Lucianus, nil dulcius esse patria docet. Wielandio [25]) quidem et Paulyo scripta videtur haec declamatio a Luciano, quum provectus jam aetate Samosata (in urbem patriam) ad tempus rediisset; sed Wielandius specimen magis humani animi quam sollertis ingenii in ea apparere censet. At eam ipsam ob caussam a seniore Luciano scriptam eam esse negamus, nec vero ea de caussa subditivus putandus est libellus, nec recte judicavit Wetzlarius (p. 24), cum plurima in eo deprehendi dicat, quae in Samosata et in ea, quae de Luciani vita scimus non quadrent. Non enim Lucianus *suae* patriae scripsit laudem, sed *patriae* et scripsit, ut nobis videtur declamatione juvenili, ut in scriptionis genere demonstrativo se exerceret. — Post hos libellos, in quibus rudimenta quasi et tirocinia Lucianeae artis conspicimus, numerandi videntur quatuor rhetorici, qui inscribuntur 4—7 *tyrannicida*, *abdicatus*, *Phalaris primus et secundus*. Rhetores et sophistae quum magistri essent simul caussarum agendarum, Lucianus in Gallia exemplaria quaedam videtur elaborasse, quae imitari possent discipuli. Roboratam et maturiorem videmus jamjam Lucianei ingenii vim et in Phalaride oraculorum et sacerdotum res multo sale defricantur. In *Tyrannicidae* qui inscribitur libello ascendit aliquis in arcem ut tyrannum interficiat; quem cum non invenisset, necat filium tyranni, necatique in corpore relinquit gladium. Quae ubi a patre postea adveniente conspiciuntur, eodem gladio se transfigit pater; quare, qui filium necaverat, praemium idem sibi vindicat ac si tyrannum ipsum (patrem) interemisset. Sophistico more Lucianus et *abdicatum* quendam fingit filium, qui, quum esset medicus, patri furioso, nulla reliquorum arte sanando suae artis ope mentem restituit sanam. Receptus eam ob rem a patre filius, quum novercae furiosae mederi se posse negasset, denuo a patre abdicatur. Quae cum coram judicibus tractanda esset res, Lucianus filii ut justissimam ita pietatis in patrem plenam excogitavit defensionem. Quae quamvis nimis videatur ampla, sine recta tamen ratione Belinum eam ad Libanium, posteriorem quendam sophistam retulisse recte judicavit Lehmannius (V, 357). — Eximium tum sophisticae tum rhetoricae artis exemplum Lucianus edidit in *Phalaride* I. et II. Fingit enim Agrigentinum istum tyrannum Apollini Delphico, fama celebratissimum, taurum aëneum consecrare; legati autem ad diluendam crudelitatis famam orationem habent artificiosissimam, qua Phalarim justissimum esse eo comprobatur, quod Perilaum, qui taurum istum excogitaverat, supplicio affecerit. Magis etiam subdole Lucianus in Phalaride altero sacerdotes delphicos deliberantes facit, utrum recipiant taurum an retro mittant. Suadet unus ex sacerdotibus ut recipiatur donum, quod impietatis et imprudentiae foret illud remittere, sed ita suadet, ut impudentissimam sacerdotum avaritiam et rerum sacrarum negligentiam patefaciat. — Circa grammaticas quaestiones qui versantur dialogi sunt 8—10 *Lexiphanes*, *Pseudosophista* seu *Soloecista* et *judicium vocalium*. Inclinante jamjam ad

25) Uebers. V, 378: Mehr ein Werk des Herzens als des Witzes. Conf. etiam Paulyum in proleg. ad edit. somnii p. XXVII.

barbariem eloquentia Lucianus rationem adhibens vitiosam et corruptam sophistarum consuetudinem puro et incorrupto sermonis genere emendare voluit, et quum plurimam operam in hac re collocasset (Lexiph. 22.), eorum perstringit ineptias aequalium, qui antiqua et exoleta verba proferendo et revocando oratoriae artis laudem parare studebant. Itaque scripsit *Lexiphanem* [26]), sub cujus persona ridet omnes Lucianus, qui eo melius sibi videbantur dicere et scribere, quo longius a communi dicendi ratione recederent. Lucianus Lexiphanem adolescentem, ut Platonis, Thucydidis et qui comoedias tragoediasque scripserant opera legat, cohortatur, unde pulcherrima, florum instar, decerpere et sermonis acquirere possit perspicuitatem. — In *Soloecista* autem ridentur, qui nimii sunt in Atticismorum molesta investigatione, qui Soloecismos dum insectantur in aliorum libris, ipsi ad veram sermonis integritatem atque elegantiam propter ingenii mediocritatem non possunt accedere. Qui notatur ut ineptissimus grammaticorum Soloecista ne videt quidem, quae Lucianus de industria in sermone admittit vitia et plumbeus omnino est in virtutibus vel vitiis orationis perspiciendis. — Rem in rebus grammaticis levem multa cum dexteritate et amoenitate persequitur Lucianus in *judicio vocalium.* Formam adhibet judicialem et litera Σ literam *T* coram judicibus septem vocalibus de vi ac spolio accusat, (quod γλῶττα e. g. scribatur pro γλῶσσα) et literam *T* crucis supplicio afficiendam esse a judicibus poscit. Urbanitatis plenus hic libellus tam bene est scriptus, ut tritum illud — ex ungue leonem agnosci de hoc lusu ingenii Lucianei dixeris.

Jam vero quum satis exercitatus sibi videretur Lucianus in sermonis attici elegantia, declamationes sive recitationes istas (προσλαλιὰς), de quibus supra dictum est, instituit, ex quarum numero hic inserendae videntur 11—16 *de electro s. cycni, dipsades, Herodotus s. Aetion, Harmonides, Scytha s. hospes, Zeuxis et Antiochus.* De quarum ordine quum nihil possit certo affirmari, nisi temeritatis velis subire accusationem, id solum videtur monendum, Lucianum declamationibus illis, quas, antequam Athenas sedem literarum suarum stativam elegisset, in urbibus Graeciae vel Macedoniae habuit, primo tantum conventu allocutum esse auditores, voluisse autem illis legendis invitare simul illos hominum politiorum circulos, ut postea etiam ipsius declamationes probarent, sive ut ipso uterentur in dicendi arte praeceptore [27]), sive causarum actore. Illud etiam haud absonum videatur conjicere, Lucianum insequentibus diebus veterum auctorum poëtarumve libros, addita ab ipso interpretatione, legisse. Nam singulis istis recitationibus ut parum celebritatis, ita mercedis poterat consequi minus. Sunt enim exiguae et in gracili pleraeque versantur materia. Ita de *electro sive cycnis*, quae inscribitur, declamatione, ne nimis magna de sua in dicendo arte exspectent, auditores monet Lucianus — narrans, se etiam olim in Eridano fluvio electrum et cycnos, de quibus tam mira fabulentur poëtae, frustra quaesivisse. Caveant itaque auditores, ne spe sua et exspectatione similiter dejiciantur. Frigidius etiam in *dipsadibus*, (quod est genus serpentium lybicorum, quorum morsu sitim inexplebilem effici narrat) inexplebilem suam plausus auditorum acquirendi

---

26) Eorum, qui Pollucem Onomastici auctorem et Athenaeii Deipnosophistas sub Lexiphanis nomine perstringi judicabant, explosa pridem est sententia conf. Lehmann V, 496. Damus vero similitudinem quandam inter hunc libellum intercedere et rhetorum praeceptorem (Nro. 40), quare de aetate hujus libelli dubitamus. Quod ad rem attinet conf. Senecae ep. 114 et Bernhardy Grundriss der römischen Literatur 1850 S. 281 et Frontonem ed. Mai p. 89.

27) Conf. hac de re Luciani Herodotum cap. 7. ἅπασι γνωσθῆναι καὶ δεῖξαι τἀμὰ βούλομαι. Ejusdem libri capite 8 rhetores, historici et sophistae inter auditores commemorantur.

cupiditatem profert. Melius multo et elegantius elaborata est declamatio, quam in urbe Macedoniae primaria (7. 8) habuit, in qua Lucianus *Herodotum* [28]), qui Olympiae libros suos recitaverit, *Aetionem*que pictorem, qui tabulas suas ibidem omnium conspectui objecerit, imitari se velle dicit. In *Harmonide* principem aliquem atque eximium in aestimandis artibus literisque virum epistola, ut videtur in sui commendationem scripta, compellat; qui si res suas approbaverit, famam doctrinae et artis, quam alibi jam consecutus sit, per omnes gentes celebratum iri. Paucis enim sed exquisiti judicii hominibus probanda esse opera, olim jam Timotheum tibicinem *Harmonidi* discipulo gloriae cupidissimo suasisse. Similiter favorem et patrocinium duorum Thessalonicensium (9) civium sibi flagitat in *Scytha*. Ita enim Anacharsim *Scytham*, qui Athenarum urbem pernoscere voluerit Toxari intercedente in Solonis familiaritatem pervenisse, cujus viri consuetudine universam quasi viderit Graeciam (*πάντα ἑώρακας ἤδη Σόλωνα ἰδών* 5. 7.) Differt ab his benevolentiae captationibus *Zeuxis et Antiochus*, ubi Lucianus rerum a se expositarum argumentorumque novitatem et insolentiam unice laudari ab auditoribus queritur. Itaque suam rem hominumque de se judicia cum iis comparat, quae de *Zeuxide pictore* et *Antiocho Sotere*, qui per elephantos victoriam reportaverit, judicaverint olim homines. At majores etiam in libellis suis inesse virtutes, quam quae ab aequalibus laudentur, inesse sollertiam in inveniendis rebus, in sermone venustatem atticam omninoque ad veterum scriptorum probatissima exemplaria composita esse omnia (*πρὸς τὸν ἀρχαῖον κανόνα συγκειμένων* cap. 2). Quae omnia Lucianus ita exponit, ut in describendis artis pictoriae operibus incredibilem exhibeat doctrinam et facilitatem, ut haud sciam an nemo quos novi scriptorum eadem arte tabulas pictorum oculis quasi legentium subjicere calluerit. Idem scriptionis genus inveneris in libellis 17. 18: *Hippias* et *de domo*, quorum primus balneum ab *Hippia* recens exstructum laudat frequentemque ejus usum propter aedificii elegantiam, commoditatem, magnificentiam commendat. *Domus* vero (*οἶκος*) sive conclave a divite et erudito ut videtur homine ad recitationes (vel colloquia) habendas exstructa ita laudatur, ut Lucianus se ipsum et possessori et audientibus quam urbanissime commendet. Pulchritudine enim oeci quam maxime inflammari et adjuvari oratorem, auditorum vero animos saepenumero distrahi domus tabularumque pictarum magnificentia. Quod Lucianus scripsit 19 *encomium muscae*, id ita scribere videtur voluisse, quasi imparatus et ex tempore ad dicendum prodiisset, quod perorandi genus, qui tum vivebant, sophistis usitatum fuisse, ex Philostrato scimus et Frontone [29]), qui laudes fumi et pulveris composuit. Sub finem scriptorum in Gallia a Luciano rhetore compositorum collocanda videntur 20—25 *Anacharsis s. de gymnasiis*, *de saltatione*, *Toxaris s. de amicitia*, *imagines et pro imaginibus*, et *encomium Demosthenis*. De utilitate ac recta *exercitationum gymnicarum* ratione in utramque partem disputatur ab Anacharsi Scytha et a Solone, qui, quantum ejusmodi exercitationibus ad recte educandos adolescentulos efficiatur, contra insulsas quasdam Scythae, sub cujus persona Galenum medicum perstringi putabant nonnulli (Wieland IV, 323) rationes ita defendit, ut res suspensa quodammodo ac dubia relinquatur. In libello *de saltatione* [30]) contra Cratonem Cynicum ars, quam vocant pantomimica, laudatur vel

---

28) Pleno Lucianus ore etiamtum laudat Herodotum (1), quem postea demum cavillatione persequitur, unde mihi nonnihil effici videtur ad libelli de astrologia fidem et auctoritatem tuendam.

29) confr. Fronto ed. Mai, 1816. II, 361 et Bernhardy, röm. Literatur. 287. A. 229.

30) qui libellus Wielandio valde displicuit, quum desit in illo ars, judicium, ratio quaedam ac via; Schmie-

defenditur; esse enim eam artem utilissimam, vetustissimam, suavissimam. Festinanter scriptam esse hanc declamationem et in auditorum gratiam sive mimorum quorundam commendationem compositam, ex eo etiam conjici potest, quod Deorum fabulas arte mimica oculis hominum subjici Lucianus in illius rei laudem profert. In *Toxari*[31]) Scytham cum Graeco disputantem inducit, utra natio sanctius colat amicitiam. Quina uterque narrat probatae amicorum fidei exempla omissoque certamine ipsi inter se jungunt amicitiam. Ficta sunt exempla et a fide historiae valde aliena, quare ex eo, quod (cap. 34.) homo, qui etiamnunc Alexandriae vivat, nominatur, nihil ad seriorem hujus libelli aetatem efficitur. Hoc et quem antea numeravimus libello fabularum milesiarum quasi praeparatur genus. Laudativi s. demonstrativi (ἐπιδεικτικὸν) scriptionis generis exempla proposuit Lucianus in *imaginibus*. Panthea, regis cujusdam amica, (15) iis celebratur laudibus, ut omnes et animi et corporis virtutes in illa appareant; jam vero quod Deabus etiam illam finxerat praestantiorem, Panthea parum in ejusmodi laudibus accipiendis modestiae vel pietatis fore rata, Lucianum vituperaverat, quam ob rem hic alteram instituit declamationem *(pro imaginibus)*, qua Pantheae laudes in majus etiam augentur. Panthea quum vocetur regis amica et quum Smyrnaea videatur, (10. 2.) Lucii Veri imperatoris concubinam depictam esse, erant qui suspicarentur, alii Avidii Cassii, vel Marci Aurelii uxores vel amicas interpretabantur. Quae omnia ut demonstrari nullo pacto possunt, ita ineptum omnino videtur ejusmodi quaestiones proponere, cum rhetoricam exercitationem hoc libro contineri omnes intelligant, et ipse fucatus ac nimis ornatus sermo juvenile esse opus satis declaret. Quare non audiendi sunt, qui propter hunc librum adulationis turpissimae inurendam esse Luciano censuere notam[32]). Qui *Demosthenis encomium* inscribitur libellus, ita est compositus, ut Lucianus (quod Plato etiam fecit in Phaedro) laudationem Demosthenis ab ineptissimo rhetore Thersagora misere compositam egregia, quam ipse adhibitis, ut ait, Macedonicis commentariis elaboraverat oratione emendet. In morte Demosthenis depingenda laudibusque ab illius inimico Antipatro in eum collatis Lucianea versatur laudatio, quae satis multis hominibus criticis subditiva videtur esse. Sermonem enim esse tumidum, expositionem rerum frigidam et sophisticam, perspexisse sibi videbantur Kusterus, La Crozius, Solanus, Marsilius. Wetzlarius (p. 24) in neutram partem confici posse rem ratus, Grauerti tamen sententiam magni habet, qui ab Antipatro multa dici putat, quae a Lucianeae artis ratione sint aliena. Nos vero cum Gesnero et Wielandio a Luciano (Athenis fortasse) scriptum credimus hunc libellum eaque aetate, ubi pigere eum jam coepit artis rhetoricae propter aemulorum in eloquentia stultitiam et nequitiam. Alexandriae scriptum esse librum ex Ptolemaeorum templo, quod cap. 2. memoratur, suspicati sunt nonnulli, contra quos Gesnerus Ptolemaeorum gymnasium Athenis etiam fuisse de-

---

dero Luciani non esse videbatur. Prelleri sententiam comprobaveris: Real-Encykl. IV, 1179: Es findet sich in diesem Stück ein sensualistisch-epikureischer Hang u. s. w.

31) Quod ad tempus, quo hic liber videtur scriptus, attinet, conferre juvat quae dixit (C. Fr. Hermann, Allg. Schulzeitung Nr. 100: Stil und Sprache zwingt uns, Werke, wie Toxaris und Imagines in die Zeit zu setzen, wo Lucians Geist noch in jugendlicher Ueppigkeit wucherte, und noch nicht ganz aus dem erkünstelten Blüthenrausche der asiatischen Rhetorik zu der silberklaren Nüchternheit attischer Prosa erwacht war.

32) confr. de hac quaestione ed. Bip. I, 55. Lehmann VI. 402. Wieland 3, 305, Wetzlar a. O. S. 38—40.

monstravit ex Pausania. Stoą cap. 1. nominata mihi quidem Athenas videtur indicare; quae vero cap. 22. 24. leguntur verba πολλαῖς ἐτῶν περιόδοις et τοσάτων ἐτῶν ad rhetorica tantum per decem fere annos continuata studia, non ad senectutem Luciani, ut Wielandius et Lehmannus voluerunt, sunt referenda. Quare licet non ad perfectissimae artis normam exposita dixeris omnia, Luciani tamen esse putamus hunc libellum propter egregias, quae in secunda parte elucent virtutes totumque compositionis genus [33]). Paulo post eos, quos modo memoravimus libellos scripti videntur 26. 27. *Pseudologista* s. *Apophras* et *somnium Luciani.* Timarchus, rhetor quidam Ephesius (10. 22. 27.), quem Lucianus contumelioso nomine ἀποφράδα, i. e. nefastum vocaverat, acerbissime perstringitur, quod propter insolentiam hujus vocis Lucianum impolito et barbaro sermonis genere uti dixerat. Quae de vita et de moribus hujus Timarchi proferuntur turpissima, partim fide videntur carere, partim similia sunt iis, quae Lucianus in alios etiam homines sibi infestos inhumana quadam inurbanaque dicacitate congessit convicia (ut adversus indoctum, Eunuchus etc.). Itaque nisi malis sumere, exemplar quasi declamationum acerbarum, quod dictionis genus generi laudativo oppositum esset, edere voluisse Lucianum, eundem contra inimicos atrocitate atque iracundia, quae homine liberali atque ingenuo prorsus indigna fuit, saeviisse statuendum est. — In *somnio* autem Lucianus, redux ut videtur ex Gallia, Samosatensibus eloquentiae suae ubique jam gentium celebratae exhibere voluit specimen, vitaeque suae narratione ad literarum studia exhortari, qui erectiores ingenio essent, adolescentulos pauperibusque suo exemplo proposito animum addere. Totus, ut recte vidit Wetzlarius (p. 9.), somnii tenor Lucianum vitae sophisticae rationem proxime reliquisse atque in alia re nondum occupatum fuisse argumento est.

Jam vero relicta rhetoricae vitae institutione Romam, dein Athenas se convertit Lucianus, ubi philosophiae totum se daret, ita tamen, ut ejusmodi gravioribus studiis occupatus relaxaret interdum (ut ipse dixit verae historiae I, 1. 2.) animum levioribus scriptionibus, in quibus obscoena et parum pudica nonnulla inesse in tanti ingenii viro dolendum dixeris, quippe cui non id agendum esset, ut imperitae multitudinis voluptaria lectione aucupioque quodam delectationis alliceret sensus parum cultos, sed ut ad altiora et magnificentiora erigeret aequalium animos. Depravati seculi servum quasi se gessit, non emendatorem in eo libro, quem Romae forsan vel in Gallia composuit 28 *de amoribus*, quem paullo post excepit ut videtur 29. *Lucius sive asinus. Amores* rem a Platone in Phaedro tactam copiosius exponunt. Colloquuntur inter se familiares in itinere, utrum amor puerorum an mulierum consuetudo praestet, quae quaestio a tertio quodam arbitro ita disceptatur, ut conjugia vulgo, amores puerorum sapientibus magis conveniant. Ipse auctor excusare videtur tale rei argumentum (c. 1.); lusu enim amatorio hilariumque sermonum venustate (qui cap. 1. *Milesii sermones* nominantur) remitti nonnunquam debere animos, qui perpetuam contentionem, curarumque assiduarum molem sustinere nequeant. At nimis turpem esse dialogum sermonemque nimis inflatum et tumidum, quam qui Lucianeus possit haberi, videre sibi visi sunt Paulyus, Kuste-

---

33) confr. Pauly Uebers. S. 1752: Mir scheint diese geistreiche Schrift in die letzten Zeiten der rhetorischen Laufbahn Lucians zu fallen: die angebliche Unähnlichkeit des Stils betrifft doch grösstentheils nur die dem Thersagoras in den Mund gelegte Rede, deren gezierte Diction offenbar absichtlich ist, und vielleicht eine persönliche Beziehung hat, confr. praet. Wieland 6, 623, Wetzlar p. 24. Lehmann IX, 127. 423.

rus, alii; Solanus juvenile Luciani opus esse concedit et scriptum putat anteaquam facili et terete orationis genere exercitatus fuerit Lucianus; Belinus turpissimum istum Graecorum amorem impugnari a Luciano existimavit sive alucinatus est. Lehmannius spurium censet libellum, quod in aliis libris turpissimae istius rei, in *Amoribus* quodammodo defensae exstiterit adversarius; in hoc enim libello „sophisticam inesse vere diabolicam, nec posse aliunde perditissimae aetatis melius cognosci mores.“ Quae omnia, quod ad rem ipsam attinet, ut sunt vera, ita ad Lucianum talis libelli turpitudine et macula liberandum, nil valent. Adde quod historia de adolescentulo, Veneris Cnidiae amatore, quam narraturum se promiserat Lucianus in Imaginibus (4), revera narratur in Amoribus cap. 15; unde ad ordinem horum libellorum et ad originem Lucianeam probandam nonnihil videtur effici. Orationem praefractam quodammodo nec satis rotundam ac tersam esse concedimus; at aliis quoque in libris obscoena obscoene dixit Lucianus, ut in dialogis meretriciis, dea Syria, Eunucho etc. Wetzlarius Romae scriptum ab adolescentulo (25 annorum homine) suspicatur libellum et C. F. Hermannus [34]) Luciani esse hunc foetum judicavit. Mihi quidem eo tempore scriptus videtur hic liber, quum Luciani ingenium adolevisset jam satis, ut res serias tractandi meliorem quae in eo inerat naturae partem saepe incederet cupiditas; at relabentem videmus hominem ob vanissimae gloriae libidinem ad corruptissimos seculi mores et sensus, ita ut qui aemulus modo fieri voluit per Nigrinum vitae perfectae a Platone institutae, vel Triptolemi assectator in seminibus sapientiae et honestatis in animos hominum spargendis, idem libentissime fieret Epicuri de grege porcus. Quae ut in aliis ingeniis diversisque temporibus incredibilia et ab omni animorum excolendorum ratione aliena, ita ista aetate, — ubi nil sanctum jam Graeculis, Deorum verus cultus neglectus propter superstitionem novam et immodicam, Antoninorum curis vel vitiis auctam, res et doctrina Christianorum incognita vel nimis excelsa quam quae salutarem exercere posset vim in depravatissimo seculo — facile poterant evenire in iis hominibus, qui quamvis ad majora nati vitae publicae labentisque imperii Romani turpitudine praeceps in vitia ferebantur. Similium ingeniorum, inter Graecos, Romanos, Gallos et Germanos reperias nimis multa sane exempla. Vel si odiosa quibusdam videantur exempla, Aristophanem inter illos nomino et Horatium, Voltairium et Wielandium, qui in simili morum vitaeque publicae tabe argumento sunt, mortalium animos, ubi ad sensus pios virtutemque ante omnia colendam torpere aut veritatis cognoscendae spem abjicere coeperint, mollissime quidem atque elegantissime res suas posse scribere, sed vim vere salutarem vigoremque spiritus divinum ista morum inconstantia deleri. Nulla enim dictionis inventionisque arte tegitur vel defenditur ista morum animique levitas, quae fovere quidem potest joco et

---

34) Multa in utramque partem disputata invenias apud Lehmann. V, 566. Wetzlar p. 18. Juvat tamen Hermanni verba allg. Schulzeitung 1832 Nro. 100 apponere: Wir setzen die Amores in die erste Periode seines jugendlichen Schriftstellerlebens, wo er als Zögling der asiatischen Rednerschule noch nicht zu dem silberreinen Fluss der attischen Sprache gelangt und ebenso wenig durch Nigrins Bekanntschaft zu Rom auf ernstere Lebenszwecke aufmerksam geworden war. Es finden sich mehr römische als griechische Sitten darin geschildert und Lucian wollte sich wohl der dortigen feinen Welt empfehlen. Contra quae id tantum liceat monere, Lucianum (confr. Hermotimus 24.) jam 25 annorum adolescentulum a viro gravi ad vitam honestam institutum fuisse. Post Nigrini etiam consuetudinem eundem ad levia et prava relapsum esse, quae postea scripsit opera, satis declarant.

voluptatibus adhibendis legentium animos, corrigere vitia et vere emendare homines scriptis non potest. — Idem fere judicandum videtur de *Lucio* sive *Asino* Luciani, de cujus libri origine et aetate tantopere dissentiunt viri docti, ut sub judice videatur relinquenda lis. Lucius quidam, qui *ἱστοριῶν καὶ ἄλλων συγγραφέα* et Patrensem, (quae est Achajae urbs) se dicit (55.), in hoc artium magicarum et superstitionum pleno libello portentosa narrat de semet ipso in asinum converso, dein casu quodam in rationem et formam humanam restituto. Libellus passim obscoena et turpissima profert, sermone tamen concinno et ad delectationem composito, ita ut propter dictionis genus non indignus habendus sit Luciani stilo. Lucii vero vel Lycini nomine cum in aliis etiam libellis se significet Lucianus, Patrensis autem cognomen ideo tantum sibi dedisse videatur auctor, ut vel seriae narrationis speciem efficeret, vel quod in Achaja fortasse scriptus divulgatusque est liber: ex his rebus nil contra Lucianeam originem concludi potest. Eum certe Lucium, quem Philostratus [35]) memorat et qui fuisse dicitur *ἀνὴρ σοφὸς, ἐν τοῖς φανεροῖς σπουδαῖος, ἐπιτηδειότατος τῷ Ἡρώδῃ*, auctorem hujus libelli fuisse non est probabile. At alia oboritur difficultas longe maxima ex Photii codice 129. et ex comparatione Appuleji, in cujus metamorphoseon sive de asino aureo libris XI multa inveniuntur, quae ad verbum fere cum Lucianea narratione conveniunt. Photius autem, quum Lucii Patrensis *μεταμορφώσεων λόγους διαφόρους* primis duabus partibus cum Luciani asino tam multa habere communia dicat, ut uter alterum compilaverit, (*μεταγράφειν, ὑποσυληθέν*) ipse nesciat, — quum id etiam dubium sit Photio, uter aetate antecesserit alterum (*τίς γὰρ χρόνῳ πρεσβύτερος οὔπω ἔχομεν γνῶναι*): olim suspicati sunt homines critici, Lucianum sua ex ampliori Lucii Patrensis opere contraxisse, ad quam opinionem Photius jam videtur inclinasse (*ἔοικε δὲ μᾶλλον Λουκιανός μεταγράφοντι, ὅσον εἰκάζειν*). Contra quae Wielandius aliique monuerunt, Lucianum nusquam alias apparere eum, qui aliunde sua surripuerit, cum benigna usus sit propriae naturae in inveniendis rebus et divite vena. Itaque aut nullum omnino exstitisse censent Lucium Patrensem, aut eum librum, quem Photius legerit, qui Lucii Patrensis *μεταμορφώσεων* nomen tulerit, et in quo praeter Lucianeam narrationem alia multa contenta fuerint, seriori demum aetate videri scriptum ab homine, qui iis, quae a Luciano furatus sit, alia similia addiderit. Quae sententia mihi etiam videretur valde probabilis, nisi exstarent Appuleji libri iique multo ampliores, quam Luciani asinus, ita ut inter, Appuleji et Lucii Patrensis, quem Photius legit, *μεταμορφώσεων* libros quam maxima videatur intercessisse similitudo. Jam vero quum Lucianum parum latine scivisse [36]), Appulejum autem jam ante annum p. Chr. n. 160. Athenis vel Romae suos libros scripsisse suspicentur viri docti [37]) et cum fabulam Graecam se exponere initio libri sui ipse dixerit Appulejus [38]): ad fontem quendam Graecum, ex quo Appulejus et Lucianus hauserint, reducimur. Quamvis enim Appulejus Platonica quaedam intermiscuisse videatur, ut egregiam de Amore et Psyche fabulam, apparet tamen, librum Graecum quem sequitur non fuisse Luciani qualem nunc habemus libellum, sed ampliorem copiosioremque, qualem Lucii Patrensis fuisse Photius indicare videtur. Itaque, nisi malis statuere omnem hanc quaestionem, quod Lucium Patrensem, quem

35) Vitae sophistarum. Olear. pag. 556. in vita Herodis Attici.

36) Quod sequi videtur ex loco pro lapsu in salutando 13.

37) cfr. Bähr Geschichte der röm. Literatur §. 279 et eundem Pauly Real-Encycl. I, 644.

38) Appulejus Ed. bip. 1788 p. 4. fabulam graecam incipimus.

Photius legit, non habemus, nulla arte solvi posse, in eo videtur acquiescendum, ut *aut* cum Bährio [39]) judices, Lucianum et Appulejum fabulam Graecam a Lucio Patrensi inventam secutos esse *aut*, ne aliorum scrinia compilasse vel alienos libros contraxisse videatur Lucianus, cum Paulyo [40]) sumas verisimilius, Lucianum nostrum *principem* invenisse omnem hanc fabulam, quam per errorem tribuerit Photius Lucio Patrensi, (qui nusquam nisi in Luciani libro exstiterit) quam vero latine illustraverit Appulejus; breviorem autem libelli formam, qualem nunc legimus in Luciani operibus, et quam Photius ut a Luciano profectam memorat, a seriori quodam scriptore contractam esse, contractam vero ex ipsa illa genuina ampliorique Luciani narratione.

At ad recta etiam et honesta Lucianum advertisse animum et studia graviora, majora, severiora sibi elegisse, omissoque flagitioso isto et obscoeno jocandi genere alterum adhibuisse facetiarum genus [41]) elegans, urbanum, ingeniosum, luculentis sane exemplis demonstratur iis, qui nunc numerandi videntur libelli 30. 31. *Nigrinus* et *Cynicus*. Nigrinus, Romanus ut videtur (17. 26.) philosophus, Luciano jam antequam in Galliam profectus esset paulisper cognitus, post Gallicam vero commorationem familiaritate aliqua conjunctus, disputationibus suis adolescentem ad philosophiae studia et praecepta gravissime incitaverat. Itaque Lucianus in hoc libello amico cuidam narrat, quam egregia Nigrinus coram ipso disputaverit librumque hunc ad Nigrinum mittere se velle dicit (initio), ut gratum pietatisque plenum ex hoc munusculo cognoscat discipuli animum. Subridentem quidem videas Lucianum de insolita, quam prae se fert, gravitate; at fatetur tamen, poenituisse se vitae anteactae quum Nigrinum audiret contra res humanas, divitias, honores, alia disputantem, quibus perceptis lacrimans Lucianus primum ex tenebroso prioris vitae aëre ad serenitatem puramque idearum lucem converterit oculos (4. 5). Egregie sane Lucianus (35. 36) de hominis animo vera virtutis praedicatione et exhortatione penitus correpto verba facit, et igniculi virtutis, qui tam diu oppressi fuerant, ardore quodam philosophiae platonicae incitati laetissime effulgent. Damus quidem, nihil certi de Nigrino sciri Lucianumque id maxime spectavisse, ut imaginem veri et perfecti philosophi proponeret; at errare videtur Rankeus [42]) qui rationibus non additis suppositum judicavit hunc librum, et Wetzlarius, qui ab Luciano 25 annorum adolescentulo scriptum eum putat. Nimis enim perfecta est oratio sententiaeque multo graviores uberioresque, quam quae in omnibus superioribus libris reperiuntur. — Similem philosophi, qualem animo informaverat, imaginem proposuit Lucianus in *Cynico*, ubi Cynicus quidam Lucianum, qui antea, quam Cynici praeciperent, vitae institutionem inhumanam et agrestem judicaverat, erroris convincere studet demonstratque, qui paucissimis rebus indigeant, vitam agere vere dignam, honestam, naturae convenientem, tranquillam Diisque proximam. Suspensa quidem relinquitur res, nisi malis ad finem

---

39) Pauly Real-Encycl. I, 640, cui assentitur Bernhardy röm. Literatur p. 636.

40) Uebersetzung p. 1045: Ein schwerlich ächter Auszug aus einem verloren gegangenen Roman dieses Titels, der höchst wahrscheinlich unsern Lucian zum Verfasser hatte. Der vielgelesene Auszug verdrängte, wie es scheint, das ächte von Appulejus nachgebildete Original. Cfr. praeterea Lehmannium VI, 503 Wetzlarium l. l. p. 22, qui parum acute hanc rem attigerunt; Wielandius Uebersetzung IV, 296—304, qui de Appulejo tacuit neque Photium satis caute legisse videtur, omnem hanc quaestionem perturbavit.

41) Cic. de Officiis I, 29.

42) Pollux et Lucianus p. 23. Wetzlar p. 36.

non perductum fuisse librum dicere; at illud quidem videtur memorabile, Lucianum, qui in aliis libris vehementissime laceravit Cynicos, in hoc veram Cynismi naturam tam recte perspexisse [43]). Sed in utroque dialogo passim ad perversissimos aequalium philosophorum, qui Platonis Zenonisque discipulos se profitentes avaritiae luxuriaeque totos se dabant, videtur respexisse. In ea quidem philosophiae parte, quae est de moribus, Cynismi duram asperitatem paullo post Epicuri mitigavit facilitate et indulgentia; sed quum bona pars philosophorum in inquirenda rerum natura atque veritate potissima collocasset studia, de iis quoque disputandum videbatur Luciano, quod fecit in 32. *Hermotimo sive de sectis* (*περὶ αἱρέσεων*) libro, unde quid Luciano de philosophia visum sit, facillime cognoscas. Fingit Hermotimum, quamvis per viginti annos jam Stoicis uteretur praeceptoribus, nihil omnino in philosophia profecisse, Socraticoque more istum adducit, ut fateatur, sectarum omnium studia esse vana et ad inveniendum id, quod rectum et honestum sit, inutilia; nimis enim multas esse philosophorum disciplinas, quam quae vel per longissimam mortalium vitam accurate possint cognosci; omnes praeterea errare posse philosophos, quantumvis in placitis et principiis sibi constent. Missis itaque vanis ac futilibus disputationibus id unice agendum esse hominibus, ut suo quisque loco honeste et utiliter vivat. Lucianum cum ista scriberet, 40 annos natum fuisse (cap. 13.), jam supra diximus; itaque videre licet in hoc opere diligentissime elaborato, quam subtilis fuerit in judicando, quam acutus in disputando. Illud etiam, quantum solertiae Lucianus in philosophando consecutus sit, demonstrat, quod disciplinam quandam criticam postulat (69.), quae in summis rerum principiis ita versetur, ut viae ac rationes singularum disciplinarum facilius possint dijudicari. At ne eam quidem disciplinam perfici posse statuit, quod ultima rerum principia non per se possint intelligi, sed a singulis hominibus pro suis ingeniis diversa sumantur. Itaque duo maxime sunt, quae in philosophiae studio praecipienda videntur Luciano: primum *νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν* hortatur eos, qui nimium tribuunt philosophorum subtilitati; altero autem praecepto monet: *τἀκοινὰ ταῦτα πράττειν ἄριστον εἶναι, καὶ τὸν βίον ἅπασι κοινὸν βιοῦν καὶ τοῖς πολλοῖς συμπολιτεύειν.* Contra Stoicorum praeterea de summo bono doctrinam disseruit; quod isti tanquam finem bonorum statuant, neque esse bonum neque ulla arte hominibus comparandum, virtutem enim esse omnem actuosam et in rebus strenue gerendis, non in fallacibus Stoicorum conclusiunculis versari. Quare omnes philosophos de asini umbra pugnare judicat. Nec vero ea de causa artium liberalium philosophorumque veterum neglexit studia, sed ab subtilioribus tantum deterrebatur inquisitionibus placitorum pugnantium inter se obscuritate, et quum natura sua ad vitae magis usum animosque hominum subtiliter pernoscendos duceretur, vitae humanae maluit depingere imagines, quibus, cum ad satiram scribendam ultro delaberetur, et delectarentur et corrigerentur aequalium animi. Itaque brevi post Nigrinum Athenis mihi videtur composuisse Lucianus libros, qui inscribuntur 32—35. *Saturnalia*, *Cronosolon*, *Epistolae saturnales*, quos excipiunt 36. *de mercede conducti* et 37. 38. *verarum historiarum* libri duo et 39. *liber de historia conscribenda*, quorum breviter jam enarrentur argumenta. *Saturnalium* tres libelli ad festos illos Romae celebratos spectant dies, et primo quidem opusculo sacerdos a Saturno frustra petit divitias: secundo *Saturnus* divitibus *leges*

43) Qui Cynicum etiam ut Nigrinum propter argumentorum gravitatem a Luciano scriptum negant, ut Solanus alii, parum mihi videntur Luciani ingenium perspexisse. Melius hac de re disputavit Lehmann IX, 473.

praescribit interjectis poenarum minis; *epistolae* de mutuis pauperum ac divitum odiis, de insolentia et inhumanitate locupletum, de pauperum insatiabili edacitate, procacitate et libidinibus queruntur. In rebus moribusque Romanorum depingendis versantur etiam *de mercede conducti.* Describitur enim literatorum istud hominum genus, qui graecarum artium magistri in opulentiorum Romanorum domibus vivebant, familiares quidam nomine, re servi. Quam vitae institutionem homine liberali prorsus indignam, famae ac virtuti pariter periculosam esse, elegantissime exponitur. Miram in rebus novis inveniendis dexteritatem, ingeniique quandam luxuriem luculentius etiam exhibuit Lucianus *in veris historiis*, qui duo libelli fabulosas et incredibiles res amoenissima loquacitate et ita quidem narrant, ut captiosa quadam probabilitate fallantur animi, qui in tanta rerum varietate de recta ac solita ratione dejiciuntur et in diversis ab hac terrestri natura regionibus omnique rerum infinitate peregrinantur. Ridentur simul scriptores, qui de remotissimis terrae partibus maritimisque itineribus mendacia protulerunt ut Onesicritus, Clitarchus, Megasthenes, Jambulus, Diogenes Antonius. Nil sane pulchrius ac festivius in hoc genere scriptum exstat, quam quae Lucianus de itinere suo per Oceanum occidentalem narrat, quo in lunam etiam, solem, stellas, in ceti [44]) ingentis alvum, in Elysium et Tartarum delatus sit. Quantum delectationis istius seculi homines ex itinerum descriptionibus quamvis fictis et fabulosis perceperint, testis est etiam Philostratus in vita Apollonii [45]) et Fronto [46]). At Luciano jocosas ut ita dicam Musas haud minus placide annuisse, quam, qui principes in ejusmodi scriptionum genere hodie laudantur, Tieckio, J. P. F. Richterio, aliis facile tibi persuaseris. — Quem vero *de historia conscribenda* composuit librum Lucianus non ea de causa, ut plurimis videtur, brevi post historiarum verarum libros scriptum putamus, quod illarum exemplo per jocum quasi voluerit monstrare Lucianus, quomodo historia conscribenda non sit, — quod frigidum sane et Luciano indignum est — sed ita cohaerere quasi videntur, quod in utroque libello perversae historicorum rationes perstringuntur. In libro *de historia conscribenda* ad leges quasdam revocatur ars historica, et quae Thucydides in initio operis nimis presse dixit, copiosius a Luciano exponuntur, qui vult, ut in historico insint ingenii virtus doctrina eruditioneque exculta, animi candor, veritatis studium, sermonis simplicitas et perspicuitas, recta rerum dispositio singularumque partium proportio. Ad posterorum potius quam aequalium respiciendum esse judicia iis, qui κτῆμα εἰς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα εἰς τὸ παραχρῆμα scribere velint. Causam hujus libelli scribendi praebuerant absurdissimi quidam homines, qui bellum a Lucii Veri legatis annis p. Ch. n. 162—165 cum Parthis gestum [47]), ineptissime descripserant; unde tempus, quo egregius hic liber scriptus est, satis accurate potest definiri. Quae Lucianus de separanda arte historica et poetica et de recta sermonis historici moderatione, cujus lenitati ex vi poetica aliquid inflammandum sit (Cap. 44 ss.), dixit, eximia prorsus et quae ab omnibus legantur digna sunt.

---

44) Ceti hujus alvus, in qua per longum tempus inclusus fuit Lucianus cum sociis, ut plurima alia moverunt theologos nonnullos, ut Lucianum literas sacras Christianorum risisse putarent. Qua de re alio loco disputavimus cfr. Nota 13.

45) cfr. Apollonii vitam ubi II. et III. de Indis, VI. libro de Aegypto fabulosa produntur.

46) ed. Mai p. 363. Fronto de eo scriptionum genere haec fere praecipit: imprimis sectanda est suavitas et summa virtus est asseveratio (der angenommene ernsthafte Ton) et non inficete conficta mendacia, dum lepido aliquo argumento juventur.

47) de hoc bello cfr. C. F. Hermanni ed. hujus libri 1828. p. XV—XVII.

Quos libellos annis circ. 160—166, ut putamus, scriptos, excipit jam tertium scriptorum Lucianeorum genus, quod versatur in satiris, quibus omnium ordinum consuetudines ac vitia naso Noster suspendit adunco. At quum Athenis rhetorum praecipue philosophorumque usu ac consuetudine perspectos haberet ridiculos mores, primo numerandi videntur libri, qui inscribuntur 40—44 *Rhetorum praeceptor*, *Eunuchus*, *Parasitus*, *Convivium s. Lapithae*, *vitarum auctio*. Rhetorum praeceptorem in fronte collocamus satirarum, nec deessent rationes, si quis eum librum statim post rhetoricae vitae institutionem Galliamque relictam a Luciano scriptum esse judicaret; repudium enim quasi mittit Lucianus arti rhetoricae, acerbissime perstringendo aequalium rhetorum confidentiam, inscitiam, impudentiam. Duarum enim, quibus ad rhetoricae artis laudem perveniatur, viarum, quarum angusta et spinis obsita sit altera, altera commoda et amoenissima, se, per ironiam ait Lucianus, illa olim ascendisse plurimis sine recta ratione susceptis molestiis, quod ex laboribus nasci bona cum Hesiodo crediderit; at jamjam se videre, melius incedi altera, ubi sine ullo labore magna cum voluptate brevissimo tempore addiscatur rhetorica (7. 8.). At ea omnia non tam ideo dicere voluit Lucianus, ut vitae commutatae redderet rationes, sed ad certum quendam inter aequales rhetorem animos legentium voluit dirigere. Quod demonstrant cap. 11. 12. 17. 23. 25. Quibus locis cum corporis habitus universus accuratissime depingatur et exoleta, quae adhibenda sint rhetori, verba numerantur, denique cum nomen etiam dicatur hominis, qui Aegyptius videtur fuisse, et nomen Pothini cum alio mutaverit, ut jam idem cum Dioscuris (Castore et Polluce, *Λήδας καὶ Διὸς παισὶν ὁμώνυμος*) gerat nomen: fuere, qui Pollucem Onomastici auctorem indicari et perstringi hoc libello putarent. Quam sententiam a Scholiasta jam et Marcilio propositam, ab Hemsterhusio, Gesnero impugnatam, nuperrime defendit Rankeus [48]), aliique iratum Lucianum, quod Pollux Commodi imperatoris, tum adolescentuli electus sit praeceptor, hoc libello ulcisci voluisse putabant injuriam a feliciore competitore sibi illatam. Pollucem perstringi mihi quidem, cum Lucianus ejus nominis quasi praeformaverit literas, extra dubitationem positum videtur. Et stat Rankei sententia, etiamsi non omnia reperiantur in Onomastico, quae Lucianus memorat, exoleta verba; est enim ea Lucianeae satirae ratio, ut non ea modo in contumeliam hominum ipsi molestorum conferat, quae vere fecerunt vel dixerunt, sed ea etiam, quae committi ab illis potuisse verisimile sit. Eadem de *Eunucho* dicta volumus, qui liber turpem quandam narrat litem inter duos philosophos salarium regium petentes ortam. Quorum alter, quum, quod Eunuchus sit, minus judicetur ad docendam philosophiam aptus esse ab altero, a tertio quodam adulterii accusatur Eunuchus. Res judicibus ad dijudicandum nimis difficilis, ad Caesarem judicesque Romanos defertur. Habes igitur in hoc libello satiram scriptam contra institutas ab imperatoribus cathedras sophistarum, qui maxima mercede a Caesaribus data philosophiae docendae fungerentur munere, licet moribus essent turpissimis et literarum imperitissimi. Videtur mihi quidem Lucianus tantum ac tam honorificum praeceptoris publici munus sibi petiisse Athenis, et cum repulsam tulisset, iracundus contra omne illud institutum et rhetores ac philosophos satiras composuisse. Falso Prellerus, qui

---

48) Pollux et Lucianus. Commentatio. 1831. At errare videtur Rankeus, qui Commodi demum aetate scriptum hunc libellum suspicatur, postquam Pollux thronum rhetoricum Athenis constitutum a Commodo obtinuerit. Cum Rankeo consentire videtur Prellerus in Pauly Encycl. IV, 1177. — Hemsterhusius et Lehmannus Lucianeae satirae indolem ac malitiam non satis perspexerunt. Cfr. Lehmann. VII, 515 ff.

cathedras istas a Marco Aurelio Athenis demum a. 176 institutas esse opinatur [49]), hunc libellum non ante a. 180 scriptum putat. Nam priores jam Imperatores philosophis salaria proposuisse constat. — Mores rhetorum et philosophorum plurimo sale defricantur in *Parasito* et *Convivio*. Illo libro Simo quidam artem esse parasiticam demonstrat miris sane argumentis et ita, ut Platonis artem in rebus definiendis et vocabulis derivandis (Gorgiam e. g. nomino), per ironiam imitetur et quavis ratione causam inferiorem dicendo reddat superiorem. *Convivio* vero multo etiam festivius omnis generis philosophi epulis nuptialibus accumbentes ita depinguntur, ut ipsorum fastus, voracitas, impudentia, libidines, rixandi studia reliquorum convivarum modestiae ac temperantiae opponantur. Quod sub finem convivii homines turpissimi ad cruentam pugnam inter se congrediuntur, *Lapitharum* nomen inditum est huic libello. — At a moribus aequalium irridendis ad veterum etiam philosophorum perstringendam auctoritatem Lucianea progreditur cavillatio in *Vitarum auctione* (*βίων πρᾶσις*). In hoc opusculo ita exposita sunt omnia, ut in scena quasi agatur res. Singularum enim disciplinarum auctores praecone Mercurio ut servi vel pecora venduntur, Pythagoras, Diogenes, Aristippus, Democritus, Heraclitus, Socrates, Epicurus, Chrysippus, Aristoteles, Pyrrho. Quae Aristophanes jam contra Socraticam virtutem et honestatem petulantissime scripserat in Nubibus, ea ab imitatore comoediae Luciano augentur etiam, qui ut vulgi scilicet risu plausuque exciperetur, in egregios istos viros fabulas, calumnias, mendacia protulit ineptissima. At quum *vitae* s. scholae philosophorum sub hasta quasi vendantur, non tam inventores disciplinarum, quam sectatores dixeris perstringi; sed ipse nimiam petulantiam, qua summos istos viros laceraverat, edito postea libello, qui Piscator inscribitur, emendare et corrigere voluit. Ejusmodi libellis cum non solum admirationem sed invidiam etiam contraxisset aequalium, ipse, ut sui ingenii suaeque artis ratio novo hoc dialogorum genere comprobata recte aestimaretur, scripsit libellos 45. 46., qui inscribuntur: *Bis accusatus*, et *Prometheus es in verbis*. *Bis* enim *accusatum* se fingit Lucianus ab rhetorica et a philosophia, quod fidem rhetoricae datam fefellerit, dialogi vero graviorem et excelsiorem naturam ad jocum et nugas adhibuerit. Jupiter Justitiam deam Mercuriumque delegat, qui hanc litem, ut multas alias inter philosophorum scholas ortas, facete dijudicant. Eandem fere tractavit rem in declamatione, quae ab eo nomen accepit, quod rhetor quidam, ut videtur, Atticus Lucianum *Promethea esse in verbis* dixerat. Mira ibi inventionis arte varias hujus nominis interpretandi rationes persequitur et quibus de caussis tanti nominis honorem suis libellis tribui velit, exponit.

Nec vero philosophorum tantum aut rhetorum, sed omnis generis hominum ridiculos mores, pravas consuetudines, vitia insectatus est Lucianus, ut, quod in plurimis hominibus invenitur, sortis suae taedium, gulae impotentiam, vitam luxuriosam, hereditatum captationes, alia, quae Horatius etiam et Juvenalis perstrinxerunt. In ejusmodi rebus versantur 47—49 *Timon s. Misanthropus*, *somnium Micylli s. Gallus*, *Navigium s. vota*. Timon, quem ex Aristophane omnes norunt ut Deorum hominumque inimicum, qui immanitate quadam et asperitate naturae congressum hominum

---

49) Pauly Real-Encycl. IV, 1169. Antoninum rhetoribus et philosophis per omnes provincias salaria et honores detulisse, testatur Capitolinus in vit. Anton. 11. Similia de Vespasiano narrat Sueton. Vesp. 18, et de Hadriano Spart. vita Hadr. 16. cfr. hac de re Bernhardy griechische Literatur I, 408 ff. und römische Literatur 281.

fugeret, a Luciano dives fingitur initio fuisse, sed per nimiam in assentatores liberalitatem in extremam dejectus paupertatem, ut rustico opere victum ad vitam necessarium vix sibi posset comparare. Jam vero Jovis intercedente auxilio in pristinam restituitur opulentiam; et amici ubi pecuniam opesque Timoni restitutas audiunt, quam citissime accurrunt, ut refocillent scilicet amicitiam, sed a Timone verberibus excepti durissimis dimittuntur. Plenus est libellus egregiarum de stultitia hominum avarorum et locupletum sententiarum. Multiplex vero hominum divitum miseria depingitur in *Micylli*, sutoris pauperrimi, *somnio* [50]), qui per somnum affluentia omnium bonorum instructus *galli* sui excitatur cantu ab eoque, (quum per *μετεμψύχωσιν* Pythagorae animum in se contineat gallus) docetur, pro nihilo esse habendam divitum vitam. Quae vera esse, ut facilius persuadeatur Micyllo, magica vi adjuti noctu in divitum quorundam intrant domus, ubi adspectis miserrimis insomniis turpissimisque rebus ad suam pauperiem laetissimo animo redit sutor. — Quam stulte nova semper et meliora sibi concupiscant mortales, docet Luciani *Navigium s. vota*, ubi tres amici, *nave* in Piraeo conspecta Aegyptiaca diversissima quaeque vota proferunt, quorum propter vanitatem et ineptias a Luciano ridentur.

Qui libelli mihi quidem *satirae* recte videntur posse nominari, non eo quidem sensu, quo Quintilianus satiram totam romanam esse dixit, sed eo, quo ex Germanis etiam Gallisque multi inter satiricos numerantur scriptores, qui, aequalium pravas absurdasque consuetudines, vitiorum luculentis quasi propositis imaginibus, emendare risu et ad ea, quae recta, honesta, prudentia sunt, revocare studebant. Rothius vero in egregio, quem de satirae romanae indole scripsit libello [51]) Lucianum satiricum esse negavit. Satiras enim qui scribere velit, aequalium vitam vitaeque rationes certae alicui trutinae imponat et delicta eorum indignatione quadam animi ferat, necesse esse. Ita Horatium et Juvenalem praesertim ad antiquam majorum virtutem vitaeque agendae praecepta quaedam moralia s. civilia respexisse; et nervum satirae esse propter rem publicam indignari. Lucianum vero *suo* non *reipublicae nomine* indignari, nec sequi constantem aliquam in insectandis vitiis rationem; quare Lucianum derisorem non satiricum habendum esse, nec apparere, quid praeter ip-

---

50) Qui olim Lucianum ex Alciphrone fabularum satirarumve argumenta sumpsisse existimabant, ut in somnio, convivio, aliis, eorum explosa jamjam est sententia, cum Alciphronem 40 c. annis post Lucianum vixisse inter viros doctos constet. Conf. Lehmann. VI, 614. et Pauly Realenc. I, 315.

51) Schönthaler Programm 1844 p. 5. 8. 9. 12. 13. Eadem fere de satirae natura judicavit Gervinus Poet. Nationallit. III, 361. Ed. tert. Juvabit supposuisse, quae vir judicii acumine insignis ad hanc quaestionem dijudicandam dixit, K. F. Hermann, Allg. Schulzeitg. 1832 Nro. 100: Wir sehen Lucians Werke nach und nach immer mehr aus dem persiflirenden Scherz des komischen Gesprächs in den zürnenden Ernst der Satire übergehen, und solche Schriften, die seinen 50 u. 60ger Jahren angehören, sind zu seiner Beurtheilung am wichtigsten. Nirgends zeigt sich sein Eifer für Wahrheit und gediegene Wissenschaft, sein Hass gegen Trug, Ostentation und Aufschneiderei in so klarem Lichte, wie hier, wo er sich nicht in der Allgemeinheit fingirter Karrikaturen des Lebens hält, sondern bestimmte Personen der Wirklichkeit mit schonungsloser Wahrheit angreift. Paulyus, Uebers. Einleit. S. 8, Jacobus in libro laudato p. 14. 20, Rankeus, Pollux et Lucian. p. 37, Luciani honestatem morumque sanctimoniam nimis extollunt. Rankeus illum summo ardore pro virtute pugnasse, vitiorum turpitudinem perhorruisse judicavit. Rectius Lucianum aestimaverunt Neander, Kirchengesch. 2. Ausg. I, 269. Tzschirner, Fall des Heidenth. I, 154—160. Schlosser, Universalhistor. Uebers. III, 2. 220. Weisse. Jahrb. für wissenschaftl. Kritik 1832. Nro. 72. und ebend. Halm 1838. II. S. 227.

sos legentium risus ridendis vitiis voluerit efficere is, qui divina humanaque omnia rideat, et ipsa vitia hominum resque longe turpissimas risu et jocose exsecutus sit. — Quae vera maxima ex parte esse nemo, nisi qui Luciani fautor inepte est, negaverit; at ipse Rothius multis locis Lucianum sanctimoniae quoddam prae se tulisse desiderium, antiqua miratum esse, veritatem indagasse, viros virtute ac sanctitate praestantes, ut Nigrinum et Demonactem summis laudibus celebrasse, scite animadvertit. At ea ipsa nobis videntur sufficere, ut satira possit scribi. Quamvis enim leve et tortuosum Luciani ingenium Protei instar in omnia se transformaverit miracula rerum, desiderio tamen saepe eum videmus captum excelsioris illius veritatis honestatisque cognoscendae et exercendae; quo recti honestique studio ductus aegre ferebat sane aequalium perversitates nec aliud quidquam voluit, nisi verum ridendo dicere. Quod utrum is, qui bigae istius Platonicae (in Phaedro) ratione modo sursum dirigeret cursum, modo deorsum ad libidines ferretur, recte potuerit facere dubitari quidem potest; at vide, ne, ubi nisi a viro constante et perfectae virtutis amatore satiram posse non scribi statueris, nemo jam relinquatur satiricus. Nam et Horatio, quem omnes satiricum esse concedunt, ab servo datur crimini, quod *non firmus* rectum defendat (Sat. II; 7, 26.). Et idem Horatius obscoena obscoene et subridens quodammodo exposuit. Illud certe mihi videtur extra dubitationem positum, inter sermones Horatii, quos a satiris distinxeris, et satiricos Luciani dialogos quam maximam intercedere similitudinem, et utrumque de philosophia rebusque humanis eadem fere sensisse. Itaque non tam *suo*, quam humanitatis, eruditionis, prudentiae et sapientiae nomine risit in satiris, ut videtur Lucianus.

Idem ut in libris, quos modo memoravimus, vitia hominum generi communia perstrinxerat, ita in aliis quibusdam singulorum ordinum vel hominum mores et consuetudines descripsit, qui sunt 50—53 *Dialogi meretricii*, *Peregrinus Proteus*, *adversus Indoctum*, *Fugitivi*. *Dialogis* quindecim Lucianus vitia, mores, artes magicas, suspiciones, zelotypiam *meretricularum* multa cum venustate et, si unum exceperis, satis pudice exposuit. Num vero, ut quibusdam placuit, adolescentulos monere voluerit, ut ab illorum praestigiis caveant, vehementer dubitamus. Est enim nimis jocosus in ejusmodi meretricum depingendis moribus nec aliud quidquam voluit assequi nisi artis in describendis hominum moribus laudem. At rem multo graviorem sumsit sibi Lucianus tractandam in celebratissimo libello, qui tragicam *Peregrini Protei* narrat mortem. Suis oculis se vidisse ad Cronium amicum scribit Lucianus, ut ille veteratorum omnium princeps Olympiae, cum dies festi agerentur, in rogum ab ipso accensum se injecerit. Liceat nobis, nostram de hoc libello sententiam, quam alio loco copiosius exposuimus (conf. not. 13) quam paucissimis indicare. Dubitamus, num Peregrinus, de cujus moribus Aulus Gellius et ipse Lucianus in aliis opusculis diversa et minus turpia prodidit, gloriae vesania motus tale mortis genus elegerit, et satirica credimus fictione Lucianum in Cynicum quendam Cynicorumque sectam invectum esse ita, ut *Christiani* simul eorumque martyres, quorum in morte Lucianus simile superstitionis ac gloriae genus detexisse sibi videbatur, riderentur. Quae vero Tatianus, Athenagoras, Philostratus, Tertullianus de Peregrino ejusdemque de morte voluntaria tradidere, ad Lucianum referenda esse videntur auctorem, qui Ignatii etiam et Polycarpi fata, fando vel legendo sibi cognita, in hoc libello perstringere voluisse videtur. Illud quidem videatur mirum, quod eodem anno, quo secundum hominum criticorum sententiam Lucianus quartum (ut ait Peregr. 35) ludis Olympicis interfuit (Olymp. 236, sive anno p. Chr. n. 165) et quo Peregrini finem vidisse se narrat, Polycarpus etiam fidei suae in Christo positae constantiam morte sua testatus est.

Unde efficitur ante annum 170 p. Chr. compositum esse hunc libellum, qui eximio videtur esse argumento, Lucianum etiam quum historiam videatur scribere, satiram scripsisse et una imagine proposita diversissimas res, dummodo aliqua rerum similitudine connexae essent, oculis legentium subposuisse. — In *Fugitivis* paullo post Peregrinum scriptis, (1. 2) dum nimis acerbum, quo contra Cynicos saevierat, mitigare vult judicium, affirmat tamen plurimos ejusdem familiae philosophos humili ac servili conditione natos vitam agere turpissimam. Quod dramatico more ita demonstratur, ut ipsa Philosophia cum Hercule et Mercurio de coelo demissa Philippopoli, Thraciae urbe, tres philosophos, qui servi olim aufugerant, cum muliere quadam rapta rem habentes deprehendat gravissimisque eos afficiat poenis. *Adversus Indoctum* quendam hominem, qui quamvis ingenio et doctrina destitutus esset, omnes undique coëmerat libros, et qui Lucianum factis vel dictis lacessivisse videtur, inhumanam sane et agrestem Lucianus scripsit declamationem, in qua adversarii tum stupiditatem tum vitae morumque impuritatem summa malitia exagitat. Quod Indoctus ille Peregrini baculum ante mortem depositum talento emisse dicitur (35), post Peregrini mortem ejusque descriptionem numerandum putamus hunc libellum. Jam vero propter ejusmodi satiras quum omne philosophiae nomen invisum videri posset esse Luciano, monitus fortasse ab amicis, contraria et inter se pugnantia in libellis suis deprehendi, suam de his rebus sententiam accuratius definiendam esse ratus est. In *Vitarum auctione* (nro. 44) augustissimos antiquitatis philosophos ludibrio habuerat; quod aliquot annis post cum nimis durum et inhumanum visum esset Luciano, retractandam rem ratus apologiam scripsit ejus libelli, qua distinguendis antiquis illis philosophis eorumque turpissimis, qui sua aetate vivebant, sectatoribus, summam prae se fert verae philosophiae admirationem. Fecit id quidem in egregio libello 54, qui inscribitur *Piscator* sive *Reviviscentes*, in quo Lucianum ad summum suae artis fastigium progressum videmus. Exacerbati Lucianea contumelia gravissimi philosophi ad ulciscendam injuriam ex Orco in vitam redeunt. Athenarum in arce agitur causa judice ipsa Philosophia, testibus Veritate et Virtutibus, assidentibus philosophis antiquis. Accusat reum Diogenes Cynicus, quod non modo philosophis turpissime maledixerit, sed universae philosophiae studium multitudinis imperitae exposuerit ludibrio. Majori dexteritate quam veritate defendit se ab isto crimine Lucianus omnibusque suffragiis absolvitur. Negari quidem non potest, in aliis quibusdam dialogis summos ab eo tribui philosophis istis et ipsi philosophiae honores, ut in Fugitivis c. 5—9 unicam hominum salutem in philosophia positam esse dixerat, ut Socrates etiam, in Vitarum auctione ludibrio habitus, pluribus locis laudatur (Demon. 11. 62. non tem. credend. 29. Somn. Luc. 12) et Pythagoras Alex. 4. contra injusta crimina defenditur; — sed quod ad ea, quae in Vitarum auctione dixerat Lucianus, attinet, immerito malitiosae cavillationis liberatur crimine. *Piscatoris* nomen inditum est huic libro, quod sub finem dialogi Lucianus hamo sumto numuloque aureo proposito ut pisces allicit philosophos, quorum qui vere probantur philosophi corona oleaginea ornantur, spurii vero detonsa barba notaque inusta dimittuntur. De se ipso in hoc egregio libello Lucianus praedicavit: *μισαλαζών εἰμι, μισογόης, μισοψευδής, μισότυφος — φιλαλήθης δὲ, φιλόκαλος, φιλαπλοϊκός*, (cap. 20) nec facile pulcrius aut venustius quidquam apud ullum optimorum scriptorum poëtarumve inveneris, quam qualem Noster cap. 16. ipsius philosophiae luculentissimam exhibuit et ingeniosissimam descriptionem.

In Timone et aliis quibusdam libellis Deos Deorumque cultum jam tetigerat Luciani satira, et in Piscatore (25) Menippi, qui in dialogis mortuorum saepissime inducitur, fieri videmus men-

tionem. Quibus nil impedimur, quin *orbem illum dialogorum, qui sunt de rebus divinis*, huc demum censeamus collocandum. In nonnullis enim loquacitatem quandam inveneris senilem, cum alii summa elaborati sint arte; et quamvis ex Somnio Luciani possit effici [52]), jam puerum Lucianum irridendis delectatum fuisse diis, majorem tamen illorum dialogorum numerum seriori aetate compositum putamus, quoniam philosophica etiam in multis tractantur iis, quae in Hermotimo et Vitarum auctione legimus, similia. Nobis propter rerum similitudinem omnes una videntur esse numerandi, quamvis, quos primo loco posuimus aliquot annorum spatio sejungendos esse concedamus ab insequentibus, quorum ultimos in Aegypto forsan elaboravit. Sunt autem ejus generis libri: 55—68 *Disputatio cum Hesiodo, Prometheus sive Caucasus, de Dea Syria, Dialogi marini, Dialogi Deorum, Dial. Mortuorum, Cataplus s. Tyrannus, Charon s. Contemplantes, Icaromenippus, Concilium Deorum, Jupiter confutatus, Jup. tragoedus; de Sacrificiis, de Luctu.* Homerum ut Hesiodum (*τοὺς τὴν θεογονίην Ἕλλησι ποιήσαντας*. Herod. II, 53) plurimis locis exagitat Lucianus; in eo autem, quem primum posuimus libellum *cum Hesiodo disputat* vel potius expostulat de promissa quidem sed non praestita rerum futurarum praedictione. Videri enim, aut Musas fefellisse verbum aut Hesiodum promisso non stetisse. Hesiodus cum futilia et ridicula in suam defensionem proferat, Lucianus illum ipsum eorum, quae dixerit, nihil perspexisse arbitratur, quoniam divino scilicet afflatu composuerit carmina. Majori cum arte scriptum est Luciani opusculum, in quo Aeschylum multis partibus imitatur, *Prometheus sive Caucasus.* Affixus Caucaso Prometheus crimina in ipsum conjecta, ut absurda et ridiculo ac tanto Deorum hominumque patre indigna diluit, merita sua erga genus humanum depingit, Jovis denique vitia injustissimamque in dominando libidinem perstringit, et sanae mentis jura libertatemque humanam contra superstitiosa sacerdotum theologorumque commenta defendit. *De Dea Syria* num et quo tempore scripserit Lucianus, perdifficilis est quaestio. Describuntur in eo libro Deae Syriae i. e. Junonis Hierapolitanae sacra, sacerdotes (Galli), templa sacrorumque ibi institutorum origines, commutationes et narrantur res portentosae atque incredibiles. Imitatur libelli auctor Herodoti non modo sermonem sed etiam rerum simpliciter et sine arte critica exponendarum rationem, sed imitatur ita, ut leonem (vel vulpem) asinina pelle tectum facillime agnoscas. Eadem de causa res nonnullas de industria falso videtur narrasse, quod contra Dahlmannium monendum videtur [53]). Wetzlario, Hermanno, aliisque libellus hic videtur esse rhetoricus et juvenile Luciani opus; ex mea autem sententia seriori demum Lucianus aetate hac satira voluit perstringere sacerdotum non minus praestigias artesque malas, quibus imperitam conarentur obcaecare multitudinem, quam vulgi promptissimos ad quodvis superstitionum genus animos. —

Dialogos marinos XV in quibus Polyphemi, Protei, Arionis, Helles, Latonae, Europae aliorumque fata et amores narrantur, Odysseae plerumque fabulis copiosius ac dramaticum in modum

---

52) Somn. Luc. 3. *παιδιάν τινα οὐκ ἀτερπῆ ἐδόκει ἔχειν, εἰ φαννοίμην θεοὺς τε γλύφων κ. τ. λ.* Lucianus de se ut quindecim annorum puero narrat.

53) Prellerus, ut permulti alii, spurium declarant hoc opus (Pauly Enc. IV, 1167) quod sit superstitiosum, frigidum, ineptum; Wetzlarius l. l. p. 20 eodem tempore scriptum suspicatur, quo amores. Conf. praeterea Lehmann IX, 383. Wieland V, 289. Pauly S. 1717. Bernhardy gr. Litt. I, 420. Alios etiam sophistas Herodotum perstrinxisse ex Plutarchi operibus scimus; alii etiam eum imitabantur, ut Pausanias, qua de re conf. Pauly Enc. III, 1251. Lucianus illum mendacia protulisse dixit etiam Philopseud. 2. et verae historiae II, 31.

expositis, *ante dialogos Deorum* scripsisse mihi videtur Lucianus. In illis enim non tam satiricam quam elegantem et rhetoricis luminibus ornatam inveneris fabularum homericarum expositionem, quod de dialogis Deorum non dixeris. Accedit, quod de pomo aureo Eridis fabulam dialogorum mar. quinto breviter et paucis adumbratam in dialogis Deorum vicesimo uberius summaque cum venustate legimus expositam, unde sequi videtur, breviorem illam expositionem postea a Luciano emendatam fuisse. Quamquam multa in tanta dialogorum multitudine iterum ac saepius dicta occurrunt, nec me fugit, dialogorum mar. septimo suppleri quodammodo dialogorum Deorum tertium, quare in mentem jam venit, ordinem singulorum dialogorum non a Luciano, sed a posteriori quodam editore ita dispositum esse. Id quidem certum est, ex his dialogis alios ad delectationem magis compositos esse, aliis satirae in morem res divinas Deorumque cultum ludibrio haberi. Quae ita esse facile persuadeas tibi, ubi *dialogos Deorum* XXVI perlegeris. Quorum primus, qui Promethei liberationem narrat, ea, quae in Promethei sive Caucasi libello inchoata fuerant, ad finem perducit. Elegantes fabularum descriptiones continent dialogi 7. 18. 19. 21. 22. 25, ubi Veneris et Cupidinis colloquia, Jovis aurea catena, Bacchi mores exponuntur; alii res obscaenas tractant, ut Ganymedis in coelo famulatum etc. ut 5. 10. 17. 23; satirice Jovis amores, partus, molestiae, rixae familiares cum Junone describuntur 2. 4. 5. 9. 8. Qui *mortuorum* XXX *dialogi* inscribuntur maxima ex parte declamationes sunt satiricae in vitae humanae inconstantiam et fragilitatem. Morte pauperum tabernas regumque turres aequo pede pulsante corrigi et exaequari quasi, quae in hac terrestri vita occurrant aliorum in alios superbiae, invidiae, offensiones, crimina. Cedendum enim esse opibus exstructisque divitiis potiturum haeredem, nec interesse quales olim fuerint homines, cum omnes futuri sint victimae nil miserantis Orci. Qui acerbissime mortalia ridet apud Lucianum Menippus Cynicus, a veteribus multa cum laude memoratur, ejusque ex scriptis satira Menippea ut videtur, accepit nomen [54]). Primo dialogo Menippus a Diogene mortuo per Pollucem in vitam redeuntem monetur, ut mortales et inprimis philosophos de morte omnibus instante admoneat, divites insolentiam deponere jubeat, pauperes consoletur. Menippus, secundo et ceteris dialogis Orci jam civis, divites, tyrannos, formosos (18. 25.) acerbissime ridet; perstringuntur reges 2. 10. 13. 24. 27., Aristoteles et Socrates 13. 14. 20. 21; in Socratem indigna et turpissima proferuntur, at fucus philosophorum egregie exagitatur dialogo 10., ubi Graecorum qui vocantur septem sapientes laudantur; contra oraculorum instituta fabularumque heroicarum fidem scripti sunt dialogi 3. 16.; in delectationem legentium compositos dixeris 4. 10. 22. 29. et dialogum 12. in quo Alexander, Hannibal, Scipio, quisnam ex ipsis summus fuerit in rebus bellicis, coram Minoë inter se disceptant et rem a Livio IX, 17. inchoatam egregie perficiunt. Aliis haeredipetarum versutia, Parcarum malignitate saepe ad irritum redacta, describitur 5. 6. 7. 8. 11. quam rem Horatius, Persius, Juvenalis haud melius exsecuti sunt. Aequalium de rebus poenisque post mortem futuris opiniones paucis irridentur 17; dialogo 26 aequam mentem servandam esse, 19 et 30 fati vi omnia effici injustumque esse Minois judicium docetur. Demonstrantur ea magis, quam ridentur et fatalis ista necessitas, qua posita libera hominis voluntas tollitur, gravissime defenditur et ad evertendas hominum de recto et honesto sententias adhibetur in Jove confutato tragoedo aliis. Fato autem omnia fieri, quum non docuerint Epicurei sed Stoici, dubium possit videri, num Lucianus, quum ista scriberet, Stoicos magis secutus sit, quam postea,

54) Conf. Lehmann II, 465.

(Alex.) ubi ut unicum sanae mentis philosophum laudat Epicurum. Nobis quidem ea tantum de causa Stoicorum de fato protulisse videtur sententiam, ut Jovis summi potestatem infringeret. — Dialogis mortuorum adnumerandus *Cataplus* sive *tyrannus* et *Charon* sive *contemplantes*. Trajicitur in illo Megapenthes tyrannus judicioque Rhadamanti ea afficitur poena, ut a Lethes aqua bibenda prohibitus deliciarum terrestrium pristinaeque potestatis memoriam deponere non possit dilaceretur-que quasi tanta rerum praeteritarum ac praesentium confusione. Majori etiam ingenio scriptus videtur *Charon*, in quo ut in aliis vivi ad mortuos descenderant, ita jam ipsa quasi Mors vitam oculis perlustrat, quibus haud scio an nemo poëtarum graviora et magnificentiora et ad confringendos mortalium animos aptiora excogitaverit. Latet enim sub ludo et amoenissima loquacitate incredibilis quaedam severitas et qui semet ipsum aliis dialogis *φαιδρὸν ἀεὶ καὶ ἀκρατῆ γέλωτος* dixerat Lucianus, mortis in res humanas acerbissimo imperio penitus commovetur. Charon enim, ut omnes norunt, ex superiori quodam loco uno obtutu res humanas, quamvis aliquot saeculis distinctas, perlustrans mortalium miseriam stultitiamque misericordia magis, quam risu prosequitur. Ita in Luciani etiam animum penetravit, quam in Plutarcho et in Marci Aurelii commentationibus saepissime invenimus, tristis illa ac mollis rerum humanarum consideratio nec graviora de vitae humanae miseriis dixerunt Sophocles, Aeschylus, Pindarus, ita tamen, ut depressi illorum tanta cogitationum mole animi erigerentur rursus fidei in Dei summi potestate, sapientia, justaque rerum omnium administratione positae excelsitate, quam penitus abjecerat ab omni pietate alienissimus Lucianus. Quem in insequentibus libellis acerrime videmus dimicantem contra omnia, quae a veteribus poëtis de Diis rebusque divinis prolata erant, et rabie quadam Titanum contra Olympios Deos renovantem impetus. Quae ut perficerentur philosophi etiam ad arma vocantur, nec requiescit confidentissimi athei animus nisi diruta ac eversa coelicolarum sede. Medium ita quendam obtinet Lucianus locum inter Tatianum et Apologetas, qui relictis superstitionibus sincera fide christianam doctrinam amplexi fuerant, et Plutarchum, Philostratum, Neoplatonicos, qui mutando amputandoque, quae viderentur indigna de Diis dicta vel ad interiorem quendam ac reconditum fabulas Deorum revocando sensum, superstitiones antiquas stabilire conarentur. Contra quorum sententias durissimus et atrocissimus Deorum inimicus Lucianus ita tantum sibi satis fecisse videbatur, ut omnes de rebus divinis opiniones irritas et vanas esse demonstraret. Via quasi ac ratione tantam rem aggreditur in *Icaromenippo*, in quo Menippus, nobis jam cognitus, Icari quasi ad Olympum evehitur alis, ut a Jove summo certa de iis quaestionibus perciperet, de quibus in terris philosophantium tanta sit dissensio. At ipse Jupiter, quum de istis rebus nil habeat, quod affirmet, impudentiae atque arrogantiae accusat philosophos Deorumque habito concilio fulmine eos necandos esse decernit. Dialecticarum physicarumque plenus est quaestionum liber, ut post *vitarum auctionem* scriptum eum esse appareat. *Deorum concilium* paulo ante Icaromenippum scriptum judicaveris; per jocum enim, ut in dialogis Deorum, nimis multos undique congregatos Olympum occupasse Deos Momus queritur; itaque ad turbas, rixas, aemulationes in posterum evitandas proponitur decretum de collegio judicum instituendo, qui in jus civitatis Olympiae inquirant eosque, qui sine recta ratione in Olympum se intruserint, coeli finibus expellant. Nimis enim turbulenta esse propter barbarorum Deorum innumeram multitudinem convivia Deorum, nec sufficere ambrosiam aut nectar tot millibus Deorum satiandis.

Ad evertendam Graecorum Romanorumque superstitionem mirum quantum efficere poterant *Jupiter confutatus* et *tragoedus*, quorum in utroque summa theologorum Graecorum decreta de Jove

omnium rerum moderatore gravissimis refutantur argumentis a Cynisco philosopho, qui cum ex Homeri de fato Parcisque sententiis Jovis potestatem omnino nullam esse demonstrat, tum etiam fati et Parcarum mutuam vim ac rationem recte cogitari posse negat. Vincitur acerrimi philosophi disputationibus Jupiter nec habet, quibus redarguat argumenta Cynisci, qui neque esse rerum humanarum moderationem, nec beatos esse Deos, nec sacrificiis precibusque colendos, nec poenas posse aut praemia post mortem hominibus tribui, quoniam Parcarum vi omnia agantur nec sit omnino libera voluntatis humanae actio, probaverat. Itaque tragico modo queritur confutatus Jupiter, *(Jupiter tragoedus)* in extremum jam adductas esse Deorum res. Quae ita esse ut sibi persuadeant, Deos Jupiter disputationem a Damide Epicureo contra Stoicum Timoclem habitam audire jubet. Itaque suspiciunt de coelo Olympii suisque auribus quasi percipiunt, inepta et absurda esse, quaecunque de Deorum providentia sibi persuaserint homines. Argumenta Damidis tam sunt acuta et subtilia, Deorum autem defensiones tam leves et futiles, ut in extremo et tristissimo solatio conquiescens Jupiter cum Diis illud unum speret, fore ut in faece saltem vulgi et inter barbaras gentes remaneant nonnulli, qui ipsis postea etiam honores sint tributuri.

Augurium sane in hoc libello conspexeris interiturae mox universae superstitionis Graecae ac Romanae, quare fuerunt jam, qui Lucianum Apologetis [55]) christianis ascribendum esse putarent. At argumenta contra divinam rerum humanarum administrationem prolata cum omnem Dei cultum evertant et cum Lucianus ad sensus pios torpens nihil omnino de rebus divinis credendum, nec esse aliquod numen praestantissimae mentis, nec animos immortales esse sibi persuaserit; ad rem Christianam tantum aberat ut praepararet legentium animos, ut pietatem omnemque beatioris vitae spem tolleret. Quibus si adjeceris, quae in libellis *de sacrificiis* et *de luctu* scripsit Lucianus, universam ejus de rebus humanis divinisque sententiam facillime perspexeris; quae omnia tam sunt tetra et — quoniam homo Dei metu et amore abjecto nullus jam est homo — tam inhumana, ut summo animi dolore afficiaris, tanti ingenii virum de summis in philosophia rebus tam prava et abjecta sensisse. In utroque libello, quos in Aegypto scriptos suspicari licet, quoniam plurima de moribus Aegyptiorum proferuntur, (de luctu 21. sacrif. 14.) sanae quidem mentis jura defendit Lucianus contra superstitiones eorum, qui sacrificiis Deorum gratiam sibi conciliare velint et contra vanas istas de Orco opiniones ineptosque ritus funebres; at ita ridet Lucianus hominum opiniones et consuetudines, ut

55) Quorum libros perlegenti mihi id maxime visum memorabile, quod in tanto rerum et argumentorum consensu tam pauca occurrunt, quae ex Luciano sumserint Apologetae. At nolebant, credo, eum suis rebus succurrere socium, qui ipsas Christianorum res acerbissime riserat. Attamen Tatiano multa sunt cum Luciano communia. Qui ut in philosophis perstringendis mirum in modum cum Luciano consentit, ita etiam in oratione contra Graecos 8. Jovis summi potentiam fati vi coërcitam ridet; et ut Lucianus de sacrif. 1. 2. τὸ θεῖον ἀνθρώπων οὐκ ἐνδεὲς εἶναι dixerat, ita Tatianus Cap. 7. τὸν πάντων ἀνενδεῆ θεὸν sacrificiis non indigere statuit. At similia jam dixerat Justinus Apol. I, 10. quem etiam sequitur Athenag. legat. 13. — Ganymedis officia ridentur etiam Minut. Felix. Octav. 22. Innumeram Deorum multitudinem exprobraverunt etiam Justinus Apol. I, 21. Minut. Felix 22. Tatian. 10. Athen. 21. Audiendus tamen, etiamsi probari non potest, ex Luciani libellis contra fabulas et superstitiones graecas argumenta repetivisse Apologetas, Johannes Müllerus, qui Allg. Weltgesch. I, 460. haud inepte: Viele, die des Christenthums Feinde zu sein glaubten, haben auf seinen Plan gearbeitet. Absurde autem Lucianum ex Justino nonnulla sumsisse suspicatur Kestner Agape S. 348 et Tatiani lectis libris Lucianum rebus Christianorum amiciorem factum esse S. 504. 510.

omnem pietatis et humanitatis sensum exuerit (de luctu 13!). Videtur quidem ipse pro Diis disputare (de sacrif. 1.); at fabulis Graecis abjectis omnem omnino pietatem Deorum numini tribuendam abjecit, et quae optimo cuique Graecorum Romanorumque excelsissima viderentur, providentia Deorum administrari mundum nec interituros una cum corpore hominum animos, ea omnia ut res ridiculas ludibrio habet (Jup. conf. 16—18. Jup. trag. 38. 47—49. dial. mort. 10, 11. vit. auct. 2. bis accus. 32. encom. muscae. 7. Demonax 8. coll. 32. de luctu 13—17.). Quibus omnibus intelligitur, Lucianum, ubi Demosthenem vitam habiturum dixit in beatorum insulis, viasque ingressurum, quae putentur animorum coelestium esse, (*τὰς εἰς οὐρανὸν ψυχαῖς νομιζομένας ὁδοὺς* cap. 50) rhetorico more ea dixisse non philosophico et ne ea quidem, quae Tacitus Agricolae auguratus erat (Agr. 46.) concedit Lucianus, sed ut Spinozae et Hegelio omnis immortalitatis spes ad hominum sempiternam memoriam gloriaeque aeternitatem referenda videtur. Immerito etiam Wielandius et Jacobus Atheismi crimine liberare conati sunt Lucianum; Epicureorum enim ajunt sententiam in Jove tragoedo demonstrari, non Lucianeam, nec ipsum divinum numen piosque erga Deum animi motus sustulisse, qui fabulas riserit. At unum tantum indicaverint velim isti viri locum, quo Lucianus pii in Deos animi prae se tulerit signum! Damis enim in Jove trag. 44. si non omnes aras a se destrui dixit, quasnam quaeso vel quid rerum sanctarum reliquit? virtutes aliquot concedo, divinitatem nego. Ubi vero (ut Calumn. non tem. 8. 17. Alex 60.) Deorum voluntati aliquid tribuisse videtur, verba adhibuit ex quotidiani sermonis usu sumta et in pietatis suae quasi excusationem addidit nonnunquam *εἴποιμεν ἄν*, sive *θείᾳ τινὶ μοίρᾳ*. In Philopseude qui Luciani tuetur partes, cum colere se dicit Deos (10. *σέβω τοὺς θεούς*), ad vires in natura rerum salutares spectat. Quare id tantum demonstrari potest, Lucianum Atheismi crimen quum in Aegypto praeesset magistratui, subire noluisse, (calumn. non tem. 14.) quoniam Imperatores romani religiones Graecas a magistratibus coli voluerunt. At Pantheam matronam Lucianus propter insignem pietatem laudibus extulit? Vide, ne idem fecerit, quod hodie plurimi, qui doctrinam Christianam pro sua quidem parte infra se positam judicant, mulieribus autem atque imperitae multitudini nil sanctius, nil antiquius esse debere conclamant [56]). — Stoicorum praeterea Platonicorumque sententias, qui altiores quasdam ideas fabularum Graecarum involucris contineri statuerant, Lucianum non approbasse, ex Deorum concilio cap. 11. concluseris; quod licet laudaveris, in eo tamen parum

---

56) cfr. hac de re Wieland 3, 322, Jacob Charakt. S. 148. Mihi quidem nec Gallici philosophi, qui Encyclopaedistae vocantur, nec senatores isti, qui rem christianam 1794 abolendam esse statuerunt, majori procacitate ac impudentia contra res divinas saeviisse videntur, quam Lucianus in Jove confutato 15. 16., ubi gallico isti monstro, (Chaumettio) Deum quasi hortanti, ut per fulminis ictum esse se demonstret, Lucianus praeivit quasi detestabilia verba cfr. Wachsmuth Zeitalter der Revolution II, 122. — De mulieribus propter pietatem laudandis quae dixit Lucianus, Wielandio quidem sanae mentis documento esse videntur, mihi insanae. Nam qui ita in rebus divinis distinguunt inter homines doctos et imperitos, summam rei Christianae virtutem tollunt, et ea, quae *universo* mortalium generi summa et vere salutaria tributa sunt, ad imbecilliorum hominum animos facilius coërcendos vel regendos adhibere et abducere conantur. Ita et *Napoleo*, qui fatali quadam necessitate omnia fieri sibi persuaserat, puellas et mulieres summa religione et superstitione imbuendas censuit, quam ob rem laudatur ab ineptissimo talium rerum aestimatore *Thiersio* Geschichte des Cons. und Kaiserthums übersetzt von Bülau VII, 370.

judicii exhibuisse concedes Lucianum, quod *verba* tantum poëtarum et res in fabulis prolatas perstrinxit, *ideas* vero rerum divinarum piumque illud animorum desiderium, ex quo profectae erant istae fabulae, ne sensit quidem nedum perspexit. Itaque si Luciani de Diis nugas istas cum iis comparaveris, quae Pindarus, Aeschylus, Sophocles iisdem fabularum Graecarum nixi argumentis singularia ac divina mentibus suis conceperunt foveruntque, insulse sane et inepte risisse dixeris Lucianum, parumque prae se tulisse judicii vel verecundiae, qui summos philosophorum ac poëtarum conatus sit ludibrio exponere. Nam qui augusta rident, ridiculi apparent ipsi, et qui magnifica proterunt ac conculcant, pusillo atque inani animo se esse ipsi declarant.

At si Lucianum Graecorum poetarum egregia monumenta philosophorumque decreta parum perspexisse vel inique aestimavisse statuimus, eundem superstitiosas philosophorum aequalium opiniones recte vituperasse concedimus. Erant enim ex Hadriani inde temporibus, qui res Graecorum sacras et oracula tueri vellent adhibita nova quadam philosophia, cujus principia ex Orientalium de rebus divinis sententiis et Platonis Stoicorumque decretis conflata *Neoplatonicorum* praepararent disciplinam. Ejusdem philosophiae vestigia inveneris in Plutarcho, Appulejo et Maximo Tyrio, qui de oraculis, daemonibus artibusque magicis composuere libros. Quae quum placerent Imperatoribus, humilia quoque facile credideris et mediocria ingenia philosophiae isti operam dedisse, unde novum originem duxit superstitionum genus, nova oraculis habita fides. Luciano autem mirum quantum displicuere isti philosophi. Itaque ut omnium gentium religiones et superstitiones perlustraverat, ita sub vitae finem novum etiam hoc magicae et philosophicae superstitionis genus perstringendum sibi esse arbitrabatur. Quod quum absque via quadam et ratione effici non posset, in Epicuri magis eum magisque videmus se conjicientem castra, quippe qui solus omnium naturam rerum et quae vera et pulchra sint perspexerit (Alex. 8. 17. 25. 43. 61.), hominesque ab maximis tyrannis spe ac metu liberare possit. In physica certe philosophiae parte Epicurum maxime adamavit, in morali autem disciplina Socraticam honestatem cum Epicuri et Aristippi comitate et facilitate conjungendam ratus, Demonactis vitam describendo speciem quandam philosophi, qualem ipse informaverat animo, componere videtur voluisse.

Ex his eorum, qui supersunt librorum, argumenta et ordinem facile colliges. Sunt autem 69—76 *Philopseudes*, *Alexander* sive *Pseudomantis*, *Demonax*, ad quos accedunt declamationes duae *Hercules et Bacchus* et tres in Aegypto conscripti libri: *Apologia s. pro mercede conductis*, *calumniatori non temere credendum et pro lapsu in salutando.* Wetzlarius acute suspicatur, senescentem Lucianum re familiari paullatim diminuta et mercede publica pro philosophiae institutione non impetrata (rhet. praec. Eunuch.) coactum denuo fuisse, ut declamationibus vitam sustentaret; quum vero plausu minori exceptus esset, munus publicum in Aegypto oblatum lubenter suscepisse. In *Hercule* (1. 7.) et *Baccho* (6. 8.) Lucianus fabulas ad senectutem suam pertinentes narrat. Ut enim Bacchus Indos, a quibus initio contemtus fuerit, vicerit cum exercitu, ita se etiam illos, qui parva de se exspectaverint, amoenissimae eloquentiae vi superatum iri sperat. Idem *Herculem*, vetustissimum Gallorum Deum eundemque eloquentiae praesidem cum semet ipso suaque eloquentia comparat; in senibus enim demum perfici ait eloquentiam velleque se cicadarum in morem usque ad vesperum senectae suos producere cantus. — At majoris multo ad seculi mores pernoscendos momenti sunt libri *Philopseudes* et *Alexander*. In *Philopseude* philosophorum audimus colloquia aegroti cujusdam assidentium lecto. Mira sane et anilia narrantur de morborum incredibilibus sanationibus, de

spectrorum visionibus, de viribus magicis [57]), medicamentis amatoriis. Christianorum etiam miracula perstringi, (16) non potest esse dubium; sed Platonicorum et Pythagoreorum maxime superstitiones exagitantur hoc libello, cujus narrationibus admonemur multifariam, quam similis Luciani aetas huic nostrae in ejusmodi rebus fuerit. Quae cap. 38. proferuntur de oraculis et de recta ratione, (40) cujus ope ejusmodi superstitiones evitari possint, celebratissimam *Alexandri Abonoteichensis* praeparant historiam. In quo libello, quem post Marci Aurelii obitum (a. 180) scriptum esse (cap. 48.) jam supra diximus, Paphlagonici istius prophetae audacissimi et versutissimi vita, mores artesque magicae, per quas immensam celebritatem per omne Romanorum imperium obtinuerit, narrantur. Sufficiat nobis nostram de hoc libello omnium fere gravissimo sententiam quam paucissimis exponere. Ficta credimus maxima ex parte, quae proferuntur de Alexandro, nec aliud quidquam putamus Lucianum scribenda hac satira voluisse assequi, nisi ut exagitaret artes magicas oraculorumque renovata instituta, quae per novam, de qua diximus, philosophiam Romae maxime apud Imperatores principesque civitatis viros in summo honore erant [58]). Itaque Pythagorae (et Apollinis) proprietates tribuuntur Alexandro, ut femur aureum (40), cincinni, vestes albae [59]). Cap. 41. Ponticae civitates nobilissimos delegant adolescentes, quibus ut sacrorum suorum ministris uteretur Alexander [60]); cap. 38—40. sacra mysteria Alexandri memorantur [61]). Serpentis, quem Glycona vocavit, suamque nummis etiam exprimi jubet imaginem (18. 58.), et Rutillius, vir inter Romanos summus (31.) eo procedit insaniae (35.), ut Alexandri filiam tanquam Lunae filiam in matrimonium ducat. Decipiuntur etiam falsis oraculis exercituum Romanorum duces (27. 48.). Praeterea Alexander, si vera traderet Lucianus, per quadraginta fere annos (6. 59.) Asiam praestigiis suis detinuisset, et si rationem ineas (19.), singulis diebus ducenta fere edidisset vaticinia! Quae omnia credat Judaeus Apella, non ego. Infitiari quidem non possumus, fuisse Luciani aetate,

---

57) cap. 36. quae narrantur, Goethius carmine quod inscribitur „der Zauberlehrling“ imitatus est.

58) Similia jam suspicatus est vir acutissimus Dr. *Baurius* in eo libello, quo Philostrati de vita Apollonii opertos antea atque occultos libros criticae artis face primus collustravit, Tübinger Zeitschrift 1832. IV, 121—125. At Wielandio III, 165 cfr. 206., Jacobo in edit. Alexandri praef. XVIII, veras omnino res tradidisse videtur Lucianus. Cfr. etiam Neander Kirchengesch. 2. Ausg. I, 158. 122. 178. Tzschirner Fall des Heidenthums 119. 156.

59) Cap. 4. Alexander ipse Pythagorae similis esse volebat, unde cincinnis demissis (11.) apparet, et alba veste indutus, ut Pythagoras in Jamblichii vita Pyth. 28. cfr. Philostr. Apoll. I, 8. VII, 34. Est praeterea Alexander ut Apollo *μάντις* et *ἰατρός*. Cfr. de his rebus Pythagoreis Baur l. l. 168. 184. Meiners Geschichte des Ursprungs und Verf. der Wissenschaft. I, 178. 405. 449.

60) Quod per se videtur incredibile, cum ipse Lucianus cap. 25. dixerit, in urbibus fraudes Alexandri a paucioribus creditas fuisse. Imitatur Lucianus per satiram antiquas istas Cycladum in Delum legationes cfr. Schwenk Mythologie der Griechen S. 139. Götte über das delphische Orakel pag. 304.; quo in libro parum videtur in eam rem inquisivisse auctor, quando interierint prisca illa instituta et quo cum successu sub Antoninis nova incrementa ceperint. Praeterea Göttius parum caute fabulosa nonnulla ex Luciano (S. 82. 95. 108.) ad antiqui istius oraculi describendam amplitudinem adhibuit.

61) Nominantur *προρρήσεις*, *τελεταὶ*, *δᾳδουχίαι*, *ἱεροφαντείαι* et Apollinis partus Coronidisque nuptiae. Cfr. Jacobum in edit. Alexandr. p. 73, ubi Clementis Alexandrini similes memorantur descriptiones; et Lobeck Aglaoph. 587. 608. Hermann griech. Staatsalterth. 2, 150 et Salmasium in vita Hadriani (scriptores hist. aug. 1671. p. 117).

qui oraculis fidem haberent; sed publica erant, non privata [62]); nec nummos a privatis excusos invenimus [63]), nisi si singulis gentibus Romanis is honor concederetur. Quae vero mysteria occurrunt (38—40.) a patribus ecclesiasticis etiam memorata, ab hominibus privatis tanto cum apparatu celebrata esse nemo crediderit. Adde quod petulantissimus Lucianus ineptissimos versus Alexandro tribuit, quos ipsum fecisse omnes intelligunt, — quod a se Alexandri manum vehementissime morsam esse narrat (55.), quod de Severiano (27.) et Othryade falsa [64]) ut videtur, profert. Sacerdotem etiam vaticinium Alexandri absurdissimum (43.) aureis literis expressum domi servasse, nemo crediderit. Quae omnia rite perpendenti verisimile videbitur, Lucianum illas res suo ingenio eum in finem invenisse, ut una imagine proposita superstitiones hominum artibus magicis oraculisque fidem habentium ludibrio exponeret. Id quidem certum est, neminem, qui sana utatur ratione, *universis* rebus a Luciano narratis fidem habere posse; quare etiamsi aliqua ex parte [65]) vera sint, quae narravit Lucianus, ubi in veris, ubi in fictis versetur rebus narratio, nemo facile judicaverit. Lucianum autem idem fecisse, quod recentiores scriptores, qui narrationis historicae speciem adhibentes in legentium delectationem res fictas ac fabulosas proferunt, nemo miretur, qui verarum historiarum auctorem esse Lucianum meminerit. — Simili ratione *Demonactis*, philosophi Atheniensis, diuturna familiaritate (c. 11.) sibi conjuncti vitam, mores, ingenium, mortem ita narravit Lucianus, ut exemplar verae prudentiae et sapientiae aequalibus proponeret (2.). Adduntur Plutarchi more facete et urbane ab eo dicta, describunturque honores mortuo ei ab Atheniensibus habiti. De quo libello, ficta esse pleraque, non aeque affirmare ausim, nec ea re multum ad fidem Luciano detrahendam efficitur, quod Philostratus Demonactem ne verbo quidem tetigit. Nam cum

---

62) Testis est Plutarchus, qui Delphos adiit et multis libellis has res tractavit. De defectu oraculorum cap. 7. similes quaestiones Pythiae propositas esse, queritur Plutarchus, quas Lucianus per ludibrium proposuit Alexandro, ut de Homeri aetate, de nuptiis, furtis etc. De oraculis privatis cfr. Hermann l. l. 208—14.

63) Quae Lucianus de nummis, Glyconis serpentis et Alexandri imagines exhibentibus dixit, fidem historicam hujus libelli olim quam maxime videbantur adstruere. Supersunt enim etiamnunc tres nummi, in quorum uno Jonopolitarum (quod nomen Abonoteichenses Alexandro suadente indidisse urbi narrat Lucianus cap. 58) Glycon legitur; reliqui Abonoteichitarum exhibent et serpentes duos. At nusquam invenimus Alexandri nomen, sed Veri et Antonini imperatorum; serpentes autem Apollini sacri in millibus nummorum reperiuntur. Nos Jonopolitarum nomen jam antea urbi huic inditum suspicamur, quum nemo intelligat, qua de causa Alexander hoc nomen elegerit (58.) cfr. de hac quaestione Spanheim de praestantia et usu numismatum ed. 2. p. 177; de nummis a privatis hominibus excusis cfr. Pauly Enc. V, 137. Glyconis nomen ad Glaucum, deum marinum cum Apolline cognatum referendum esse suspicor cfr. Schwenk l. l. S. 313. de Abonoteicho cfr. Forbiger Handbuch der alten Geographie I, 405.

64) De qua quaestione nondum satis explicata cfr. Dio Cass. Lib. LXXI. ed. Sturz IV, 402. VI, 691. Schlosser Universalhist. Uebers. III, 2. S. 11. Hermann de conscrib. hist. praef. XVI.

65) Mirum est, quod Rutilii cujusdam in Asia eodem tempore praefecti „Honorum omnium candidati“ (cfr. Lucian 30. ἐν πολλαῖς τάξεσι Ῥωμαϊκαῖς ἐξητασμένου?!) superest inscriptio monumentalis, de qua scripsit Zumpt Rhein. Museum für Philol. 1843. S. 258. Lepidi etiam Epicurei a Luciano laudati (25.) nomen in inscriptionibus ponticis exstare invenimus Pauly Enc. IV. 1174. Lapides uncti et coronati, quos adoraverit Rutilius (30.) a Minucio Felice etiam in Oct. 3. memorantur.

Demonax res novas in philosophia non invenerit, sed aliorum philosophorum rationes in unam quasi commiscuerit (5.), silentio eum poterat praeterire Philostratus. Itaque Olearius (p. 556) fabulam esse hunc libellum sine justa causa contendit. Concedimus etiam, reperiri in dictis Demonactis nonnulla, quae Attico sale careant et nimis sint frigida, quam quae a Luciano composita possint haberi (ut 12. 15. 17. 22, 23.); at altera ex parte nimis celebrantur Demonactis laudes; et quae de mysteriis, sacrificiis et precibus judicasse Demonactem narratur (11. 27.), quae de sedata per unicum Demonactis verbum populi seditione et de honoribus illi ab universa Graecia habitis (63. 64.) proferuntur, a fide historiae aliena esse videntur. Cetera tam placide et suaviter narrantur, ut ipse Lucianus suam senectutem hoc libello depingere et consolari voluisse videatur, quod ex mira etiam sermonis simplicitate concluseris. Quae etsi sunt incerta, certo tamen in Aegypto scriptus est libellus a sene Luciano (cap. 10. 4. *ἐν γήρᾳ ὑστάτῳ, πρὸς αὐτῷ ἤδη Αἰάκῳ γενόμενος*) *Apologia pro mercede conductis.* Mutata, quod supra diximus, vitae institutio, (quum Lucianus munere publico Alexandriae fungeretur), pugnare videbatur cum iis, quae multis annis ante de tristi hominum mercede conductorum (Nro. 35.) conditione exposuerat. Qui talia ei exprobravere, docentur a Luciano, se non privatis, sed reipublicae operam suam locare; eodem modo Imperatores etiam mercedem publicam accipere. Munus istud Aegyptiacum cum teneret Lucianus, pravae etiam, ut videtur, ejus de rebus divinis opiniones ad praefectum Aegypti deferebantur, (10. 12. 14.); itaque Lucianus in libello *calumniatori non temere credendum* delationibus ejusmodi maximam rebus privatis ac publicis afferri pestem docet, monetque quomodo illis occurrendum sit. — Alexandriae etiam muneris publici rationibus suspicamur adductum fuisse Lucianum, ut, quod in Nigrino riserat, mane salutaret potentiores. Acciderat in tali salutatione, ut pro solenni formula *χαῖρε* minus usitatam adhiberet *ὑγίαινε*. Quem *Lapsum in salutando* docte quidem, sed frigida et languida loquacitate excusat. Dolebis mecum talia fecisse et scripsisse gloriae dignitatisque suae jam superstitem Lucianum.

At magis etiam dolendus videatur Lucianus, si, ut viris doctis placet, podagra cruciatus fuit senex, cujus dolores carmine ad ejus laudem composito, ut putant, lenierit. Insunt enim in Luciani operibus poëtica quaedam 77—79: Epigrammata, Ocypus et Tragopodagra. *Epigrammata* ista num a Luciano et quando sint composita, nemo demonstraverit. Sunt autem multa eorum satis mediocria, alia Lucillio cuidam vel aliis poëtis tribuuntur, quorum carmina in anthologia Graeca leguntur. *Ocypodem* plurimi ut absurdum indignumque Luciano poëma aspernantur[66]), Wetzlarius „ubi Ocypus desinat, Tragopodagram subjungendam esse“ putavit[67]). Celebratur in utroque carmine podagrae potestas, qua sanissimi quique et ipsa medicorum ars vincatur. Nos Tragopodagram Luciani opus esse censemus, eodem fortasse scriptum tempore, quo Jupiter tragicus. Lucianus in ejusmodi rebus canendis ut non fuisse videtur primus, ita imitatores etiam invenit inter Germanorum nonnullos poëtas, qui saeculo XV. et XVI. p. Chr. n. floruere[68]).

---

66) Pauly Uebersetzung I, 18.

67) l. l. p. 56. At in Ocypode unus est aeger, qui antea validissimis usus erat pedibus (*ὠκύπους*); in Tragopodagra Syri duo medici in idem incidunt malum.

68) Nam et Philostratus, vita Apoll. IV, 30. juvenem loquentem facit *ποδάγρας ἐγκώμιόν τι μοι συντέτακται*. Inter Germanici nominis poëtas Fischartum celeberrimum saec. XVI. satiricum Luciani car-

Hisce satis jam videmur nobis de ordine, quo libros suos scripserit Lucianus, eorumque de consilio atque argumentis disputasse. Qui praeterea inveniuntur inter ejus opera libelli, eos cum plerisque viris doctis ab aliis auctoribus esse compositos judicamus. Sunt autem ejus generis 80—84 *Halcyon, Nero, Macrobii, Menippus et Philopatris.* *Halcyonis* in avem secundum poëtas mutati mirantem fata Chaerephontem docet Socrates, multa esse in rerum natura, quae mentis humanae vim transcendant; itaque de rebus dubiis et incertis assensionem cohibendam esse. Quae quum Academicorum ultro indicent disciplinam et quum Diogenes Laertius (III, 62.) et Athenaeus (Deipnos. 11, 506.) qui paucis lustris post Lucianum scripserunt, Leonis Academici hunc foetum esse testentur, non est, quod amplius de hoc libello verba faciamus. *Nero sive de Isthmo perfodiendo* libellus Muusonium philosophum, a Nerone Roma pulsum (Philostr. vita Apoll. 4, 36.) in Isthmi perfossione occupatum facit. Multa eademque absurda cum colloquuntur de Neronis moribus, cantu, voce, navis advehitur, nunciaturque, mortuum esse Neronem. Ex nostra quidem sententia Lucianus eam scribendi materiam sibi non elegisset, nec de Nerone tanta cum aequitate disputavisset, ad quae accedit, quod hoc opusculum in Philostrati etiam operibus invenitur et in aliquot Luciani libris manuscriptis desideratur. *Macrobiorum* s. longaevorum libello gratulatur auctor Quintillio cuidam diem natalem, numeratisque plurimis hominibus, qui ad extremam senectutem integris corporis viribus vixerint, Quintillium etiam longissimum vitae cursum peracturum esse sperat. Exempla in absurdissimo libello prolata non infra Tiberii tempora descendunt, et aliis etiam argumentis Rankius Phlegontem Tarsensem hunc librum scripsisse demonstravit [69]). *Menippus* sive *Νεκυομαντεία* iter a Menippo in orcum susceptum ita narrat, ut imitatum esse auctorem plurimas res ex dialogis mortuorum et Icaromenippo, quas ne recte quidem intellexerit, pateat. De *Philopatride* dialogo, in quo res Christianorum, quales post Synodum Nicaenam constitutae erant, referuntur, Gesnerus [70]) tam diligenter et acute disputavit, eumque dialogum Juliani Apostatae temporibus (a. 363) Constantinopoli a sophista quodam Luciano compositum esse demonstravit iis argumentis, ut quod addere possimus, nobis quidem reliquerit nihil.

---

men legisse concluseris, ubi sesquipedalia videris ejus verba (Podagrammisch Trostbüchlein bei Wackernagel, deutsch. Leseb. III, 491), quae cum Luciani versibus 197—202 mire consentiunt. cfr. etiam Gervinum poët. Nationallit. 3te Ausg. III, 122. 390.

69) Pollux et Lucianus S. 16—22. Sejanum cap. 7. indicatum esse dubitamus. Wetzlar l. l. 16. 17. 26.

70) Cujus disputationem operibus Luciani a se editis inseruerunt ed. Bipont. IX, 561—605 et Lehmann IX, 637—686.

Nachrichten

über das

evangelisch-theologische Seminar zu Urach.

Eine für die Zwecke des Seminars mehrfach bedeutende Veränderung, die in dem zweiten der verflossenen vier Jahre auf höhere Anordnung in dem *Seminargebäude* vorgenommen wurde, verdient eine dankbare Erwähnung. Es wurde durch dieselbe einigen wesentlichen Bedürfnissen in Beziehung auf den Gesundheitszustand der Zöglinge, die Turnübungen, die Seminarbibliothek, auch die Sitzungen des Lehrerkollegiums, durchgreifend abgeholfen. Das Seminar erhielt eine Winter-Turnhalle, die ihm bisher gefehlt hatte; durch den erbauten geräumigen Saal ist dem Bedürfniss vollkommen entsprochen, und zugleich der Uebelstand aufgehoben, dass früher Zöglinge, die in der Erholungsstunde der Winterabende sich eine Bewegung machen wollten, dabei auf schmale Gänge beschränkt waren, die gegen den unbeengten, in den Schwesteranstalten dazu vorhandenen Raum einen grossen Abstich bildeten. Für das Bedürfniss der Zöglinge in Krankheitsfällen wurde auf eine wohlthätige Weise gesorgt durch Erbauung besserer Krankenzimmer mit sehr angemessener Einrichtung. Endlich wurde, da früher für den dreifachen Zweck der Konventssitzungen und eines Raums für die Registratur und die Seminarbibliothek nur ein einziges kleines und mangelhaft beleuchtetes Zimmer vorhanden gewesen war, zu klein besonders für die wachsende Zahl der Bücher, ein grosses, helles Bibliothek- und Konventszimmer erbaut, das zugleich zu einem Lesezimmer für die Zöglinge, um dieselben die Bibliothek von Zeit zu Zeit benützen zu lassen, sich eignet. Auch in anderer Hinsicht ist das Seminargebäude durch diese Bauveränderung, bei welcher Vieles abgebrochen und ein neues Stockwerk über dem Hauptflügel des Gebäudes errichtet wurde, wohnlicher geworden.

In dem *Personalstande* des Seminars sind seit dem Herbste 1846 folgende Veränderungen vorgegangen:

Der Repetent *Breyer* verliess wenige Wochen nach dem am 18. Okt. 1846 erfolgten Eintritt der neuen Zöglinge in Folge nachgesuchter Erlaubniss das Seminar, an welchem er sechs Jahre lang gedient hatte, um in den Predigerberuf zurückzukehren. Gleiches war bei seinem Nachfolger, dem Predigtamtskandidaten *Zeller*, der im November 1846 als Repetent eintrat, ein Jahr nachher der Fall. Auf diesen folgte im Anfang des dritten Semesters der Repetent *Dorsch*. Im

Mai 1848 wurde der Repetent *Gaupp*, der seit dem Frühjahr 1844 diese Stelle bekleidet hatte, zum Amtsverweser für den zur Reichsversammlung gewählten Rektor Rümelin von Nürtingen bestellt. Sein Nachfolger, *Planck*, war Repetent an dem Seminar bis zum Anfang des Dezembers 1848, in welchem er in gleicher Eigenschaft an das höhere evangelische Seminar zu Tübingen übergieng, in seine hiesige Stelle aber der Predigtamtskandidat *Kraut* eintrat. Im April 1849 trat der Repetent *Dorsch*, zur Rückkehr in den Predigerdienst ermächtigt, aus; sein Nachfolger wurde der Amtsverweser an der Lycealklasse in Reutlingen, *Baur*. Der Repetent *Kraut* wurde im Mai 1850 abberufen; die hiedurch erledigte Stelle zu versehen, wurde der gleichzeitig zum Professoratsverweser an dem Seminar ernannte Stadtvikar in Stuttgart, Repetent *Planck* von Nürtingen, beauftragt.

In demselben Monate wurden die Professoren *Strodtbeck* und *Kraz* in gleicher Eigenschaft, jener an das Obergymnasium in Ulm, dieser an das Obergymnasium in Stuttgart versetzt, und die erste Professur an dem Seminar wurde dem Professor Dr. *Mönnich* in Stuttgart, die zweite dem Professor *Renz* in Ulm übertragen, zum Amtsverweser aber für den Professor *Mönnich*, dessen Eintritt sich verzögerte, wurde der kurz vorhin genannte Stadtvikar in Stuttgart, Repetent *Planck*, ernannt. Die Gesammtzahl der anwesenden Seminarlehrer betrug nun zwar im letzten Semester nur vier; aber der hiesige Diakon *Schröder* erhielt den Auftrag, während dieses Semesters den Religionsunterricht im Seminar zu ertheilen, den er auch im Anfang und am Schluss des vorletzten Semesters, so lange der Professor *Kraz* auf dem Landtage abwesend war, gegeben hatte.

Die Funktion eines Seminararztes, mit welcher seit dem Jahr 1843 der hiesige Oberamtsarzt Dr. *Rösch* beauftragt war, wurde im Mai 1850 dem hiesigen praktischen Arzte Dr. *Finckh* übertragen.

Im Herbste 1846 traten folgende Zöglinge in das Seminar ein:

1. Seminaristen.

Namen	geboren	in	Vater
Gottlob Jonathan Bentel . .	4. Febr. 1832.	Ludwigsburg	Conditor in Ludwigsburg.
Jakob Friedrich Braitmaier	3. Mai 1832.	Urach	Stricker in Urach.
Gustav Heinrich Conz . . .	26. Sept. 1832.	Tübingen	Universitätssekretär in Tübingen †
Alb. Christ. Theod. Eidenbenz	26. Jan. 1833.	Ellwangen	Professor in Ellwangen †.
Reinhold Eipper	12. Okt. 1832.	Boll	Pfarrer in Stetten.
Chr. Friedr. Heinr. Eisenbach	6. Sept. 1832.	Stuttgart	Staatsschulden - Zahlungskasse-Buchhalter in Stuttgart †.
Christian Friedr. Finckbohner	14. Juli 1832.	Sulz	Stadtrath in Sulz.
Emil Karl Eberhard Greiner	2. Febr. 1833.	Heilbronn	Postmeister in Esslingen.
Amandus Gustav Günzler .	3. März 1832.	Denkendorf	Pfarrer in Frickenhausen.

Namen	geboren	in	Vater
Ludwig Heinrich Guoth . .	11. Febr. 1832.	Luzhausen	Pfarrer in Steinenberg.
Theodor Haas	9. April 1832.	Esslingen	Kaufmann in Esslingen.
Christoph Friedr. Hegelmaier	4. Sept. 1833.	Sülzbach	Dekan in Sulz.
Gustav Eberhard Jäger . .	23. Juni 1832.	Bürg	Pfarrer in Münchingen †.
Her. Ph. Fr. Chr. Kastropp	14. Okt. 1832.	Tübingen	Universitäts-Fechtmeister in Tübingen.
Johann Jakob Kömpf . . .	14. März 1832.	Stammheim	Gemeinderath in Stammheim.
Karl Wilhelm Rudolf Kraus	24. Mai 1832.	Unterjesingen	Pfarrer in Unterjesingen.
Wilhelm Lang	16. Juli 1832.	Tuttlingen	Oberamtsrichter in Reutlingen.
Christ. August Ludw. Preuner	14. Sept. 1832.	Oehringen	Präceptor in Oehringen.
Julius Rieber	20. Nov. 1832.	Hausen a. d. Z.	Pfarrer in Hausen an der Zaber.
Eugen Eberh. Friedr. Rommel	10. Mai 1832.	Boll	Oberamtspfleger in Göppingen.
Karl Eduard Rösler . . .	21. April 1833.	Tuttlingen	Schulmeister in Freudenbach.
Eduard Sauter	10. Dez. 1831.	Waiblingen	Präceptor in Nürtingen.
Paulus Alb. Joh. Schauffler	20. Aug. 1832.	Murrhardt	Pfarrer in Zaberfeld.
Karl Christian Schmid . . .	20. Febr. 1832.	Kirchheim u. T.	Oberamtsrichter in Heidenheim.
Guido Schnitzer	8. Jan. 1832.	Heidenheim	Rektor in Reutlingen.
Sigmund Karl Jakob Teuffel	30. Okt. 1832.	Tübingen	Oberjustizrath in Esslingen.
Karl Jakob Veit	15. Juni 1832.	Ossweil	Oberamtsgeometer in Ossweil.
Friedrich August Weegmann	25. Juni 1832.	Neustadt	Schulmeister in Neustadt.
Karl Johannes Winter . . .	3. April 1832.	Giengen	Kaufmann in Giengen.
Georg August Wintterlin .	13. Juni 1832.	Stuttgart.	Hofdomänenrath in Stuttgart.

2. Hospites.

Karl Friedr. Moriz Bäumlein	27. April 1832.	Biberach	Rechtskonsulent in Biberach.
Gottfried Heinrich Julius Phil. Elwert	17. April 1832.	Grosssachsenheim	Pfarrer in Kleinsachsenheim.
Sixt Hermann Finckh . . .	17. Juli 1832.	Reutlingen	Kaufmann in Reutlingen.
Wilhelm Ludwig Gmelin . .	11. Febr. 1832.	Gundelsheim	Kameralverwalter in Sindelfingen.
Wilhelm Julius Gross . . .	18. Juni 1832.	Stuttgart	Oberrevisor in Stuttgart †.
Alfred Ludwig Hegler . . .	29. März 1832.	Löwenstein	Pfarrer in Grossingersheim.
Georg Christian Wilh. Martin	13. Aug. 1832.	Kleingartach	Pfarrer in Unterlenningen †.
Karl Christian Plieninger .	2. Aug. 1832.	Söflingen	Oberförster in Bebenhausen.
Wilhelm Karl Hermann Rau .	26. Jan. 1832.	Geislingen	Pfarrer in Gächingen.
Karl Joseph Robert Schäffer	20. Mai 1831.	Eschelbach	Pfarrer in Stubersheim.
Christoph Hermann Schmidt	23. Febr. 1832.	Frickenhofen	Pfarrer in Frickenhofen †.
Christian Gottlieb Weinland	5. Nov. 1832.	Grabenstetten	Pfarrer in Grabenstetten.
Hermann Heinrich Yelin . .	19. Febr. 1832.	Hundersingen	Pfarrer in Wolfenhausen.

Namen	geboren	in	Vater
Später traten noch als Hospites ein:			
im Herbst 1849			
Gottlob August Luppold	26. Aug. 1832.	Wimsheim	Pfarrer in Oferdingen.
im März 1850.			
Hermann Haas	23. Aug. 1832.	Wittendorf	Dekan in Blaubeuren.
Als Auscultant wurde im April 1848 aufgenommen:			
Julius Haug	1. Juli 1833.	Geislingen	Mädchenschullehrer in Geislingen.

Von den Seminaristen wurden zwei, Rösler durch Min.-Erl. v. 10. März 1848, und Sauter durch Min.-Erl. v. 25. Juli 1850 aus der Anstalt entlassen. Der Seminarist Eidenbenz erhielt anhaltender Kränklichkeit wegen im Herbste 1848 den nachgesuchten Urlaub, um in seiner Heimath zu Ellwangen eine Kur zu gebrauchen, und im Junius 1849 die weitere nachgesuchte Erlaubniss, in seiner Heimath zu bleiben und das Gymnasium in Ellwangen zu besuchen. Dem gleichfalls an seiner Gesundheit leidenden Seminaristen Schnitzer wurde im Mai 1850 auf Ansuchen seines Vaters erlaubt, den Rest des Sommerhalbjahrs in Stuttgart zuzubringen, um neben dem Besuch des Obergymnasiums eine Kur zu gebrauchen.

Von den Hospites traten im Herbste 1848 aus: Yelin, um in das Lyceum zu Tübingen, Martin, um in das Obergymnasium zu Stuttgart überzugehen, Finckh, um dem Kaufmannsberufe, Gross, um der Pharmacie sich zuzuwenden. Im Herbste 1849 giengen Gmelin und Plieninger in das Obergymnasium zu Stuttgart über. Im September 1849 bestand Bäumlein, und im Februar 1850 Hegler und Weinland die Maturitätsprüfung mit dem Erfolg der Ermächtigung zum Universitätsstudium.

Uebersicht

der in dem Kursus vom Herbst 1846 bis zum Herbst 1850 in dem Seminar behandelten und geübten Lehrpensen und Fertigkeiten.

A. Sprachunterricht.

I. Latein.

1. Exposition, wöchentlich 6—7, in einem der Semester 8 Stunden.
   Livius bis in B. III. (Lehrer Kraz). Sallust. Cat. (Kraz) und Jugurtha (Kraut). Tacitus, Agricola und Annal. bis zum Ende von B. IV. (Strodtbeck), fortgesetzt bis zum Ende von B. VI. (Renz), Germania (Baur). Cic. p. Rosc. Am., p. lege Man., Cat. I., p. Ligar., p. Milone (Strodtbeck). Cic. epp. mit Zugrundlegung der Auswahl von Süpfle (Kraut). Cic. de Fin. L. I. ganz, II. bis c. 15, V. ganz (Baur). Virg. Aen., mit Einleitung in die Metrik, bis in B. V. (Gaupp), sofort B. V. und VI. mit Auswahl (Rep. Planck). Hor. Od. B. I—IV. mit Auswahl. Carmen saec. Epist. mit Auswahl. Ad Pisones. Sat. L. I. mit Auswahl (Kraz). Sat. L. I. und. II. mit Auswahl (Professorats-Verweser Planck).
2. Komposition mündlich, während der vier ersten Semester wöchentlich 1 Stunde, während der vier letzten alle zwei Wochen 1 Stunde. (Zeller, Gaupp, Rep. Planck, Kraut, Baur, Renz).
3. Lateinische Hebdomadarien abwechselnd von Prof. Strodtbeck und Prof. Kraz, im letzten Semester von Prof. Renz und Prof.-Verw. Planck aufgegeben.
4. Lateinische Aufsätze während der zwei letzten Jahre abwechselnd aufgegeben von den Professoren, in der Regel alle fünf Wochen.

Anmerkung. Im lateinischen, wie auch im griechischen und hebräischen Hebdomadar traten in ausserordentlichen Fällen auch die Repetenten ein.

II. Griechisch.

1. Exposition, wöchentlich im Durchschnitt fünf Stunden.
   Herodot bis B. IX.; gegen das Ende Einiges weggelassen (Kraz). Demosthenes, die drei olynthischen Reden, p. corona (Kraz). Thucyd. B. I. (Kraz, Renz). Plat. Apol., Crito, Phaedo (Kraz). Hom. Ilias mit wenigen Auslassungen bis zum Schluss von Gesang IX. (Strodtbeck). Sophocl. Ajax, Philoct., Oed. rex, Oed. in Col. bis v. 896. (Kraz). Oed. in Col. bis zum Schluss und darauf Antigone noch ganz (Prof.-Verw. Planck).
2. Komposition mündlich, während der zwei ersten Jahre wöchentlich 1 Stunde, während der zwei letzten alle zwei Wochen 1 Stunde. (Gaupp, Rep. Planck, Kraut, Baur).
3. Griechische Hebdomadarien von Prof. Strodtbeck, später von Prof. Renz aufgegeben.

Anmerkung. Während der Abwesenheit des Prof. Kraz auf dem Landtag im Spätjahr 1849 und im Frühjahr 1850 traten als Stellvertreter ein Rep. Kraut für Horaz und Sophokles, Rep. Baur für Plato und später für Thucydides.

III. Hebräisch.

1. In wöchentlichen drei Stunden Einübung der Grammatik nach Seffers Elementarbuch (der Hauptsache nach fassliche Darstellung der Ewald'schen Grammatik) und Ergänzung dieses Lehrbuchs für den weitern Fortschritt; Exposition zuerst der Uebungsstücke in Seffer, sodann 1 Sam. ganz, 2 Reg. bis über die Hälfte. Einiges aus Josua. Ausgewählte, nach Verwandtschaft des Inhalts zusammengestellte Psalmen. Abschnitte aus Prov. Obadia. Jesaj. c. XL—XLVIII. (Köstlin).
2. Komposition, schriftlich, mit jedesmaliger Konversion, in den fünf ersten Semestern wöchentlich 1 Stunde, in den drei letzten alle zwei Wochen 1 Stunde (Köstlin).
3. Hebräische Hebdomadarien von Prof. Kraz, später von Prof.-Verw. Planck aufgegeben.

IV. Französisch.

1. In wöchentlich zwei, später abwechselnd 1 und 2, während des letzten Semesters 1 Stunde anfangs Einübung der Grammatik nach Hölder, darauf Exposition in Vinet chréstomathie française Tom. II., Guizot histoire de la civilisation en Europe, Cid v. Moliere, Athalie v. Racine, Tartufe v. Moliere. (Zeller, Dorsch, Kraut, Baur).
2. Komposition alle vier Wochen von denselben Lehrern, eine Zeit lang auch von Rep. Planck aufgegeben.

   Von dem Repetenten Zeller erhielt im ersten Jahr ein Theil der Zöglinge auch Unterricht im Englischen.

V. Deutsch.

1. Deutsche Sprachlehre nach einem vorangeschickten Kursus der allgemeinen Sprachlehre im dritten, vierten und fünften Semester wöchentlich 1 Stunde (Dorsch).
2. Deutsche Literaturgeschichte in den drei letzten Semestern wöchentlich 1 Stunde (Kraut, Prof.-Verw. Planck).
3. Deutsche Aufsätze aufgegeben von Zeller, Dorsch, Kraut und Prof.-Verw. Planck.

B. Wissenschaftlicher Unterricht.

I. Religion.

1. Lesen des Neuen Testaments in der Grundsprache mit ausführlicher Sprach- und Inhaltserklärung nach vorangeschicktem einleitenden Unterricht über den Charakter der neutestamentlich griechischen Sprache, wöchentlich 1 Stunde. Evang. Luc. Act. Ap. (Köstlin). 1 Petri (Schröder in weitern Stunden als Stellvertreter im Religionsunterricht für Prof. Kraz im Anfang und am Schluss des siebenten Semesters).
2. Biblische Geschichte des Alten und Neuen Testaments bis zum Schluss des apostolischen Zeitalters, mit Einleitung in die heiligen Schriften (Kraz).
3. Glaubenslehre und allgemeine Sittenlehre oder ethische Grundbegriffe (Kraz).

4. Christliche Sittenlehre (Schröder im achten Semester).
   n. 2—4 in wöchentlich 2 Stunden.

II. Geschichte.

1. In wöchentlichen 2 Stunden allgemeine Weltgeschichte bis zur französischen Revolution (Strodtbeck).
2. In wöchentlich 2 bis 3 Stunden allgemeine Weltgeschichte von 1789 bis 1815 und württembergische Geschichte (Prof.-Verw. Planck).
3. In der grössern Hälfte des letzten Semesters Repetition der Geschichte des Mittelalters, wöchentlich 1 Stunde (Baur).

III. Geographie.

Anfangs in wöchentlich 1 Stunde, während des sechsten und siebenten Semesters abwechselnd in wöchentlich 2 oder 3 Stunden, während des achten (vergl. Physik) in wöchentlich 3 oder 4 Stunden, theils nacheinander, theils gleichzeitig mathematische, physikalische, (Strodtbeck, Renz) physische und politische (Gaupp, Dorsch, Baur) Geographie.

IV. Mathematik während der sieben ersten Semester.

1. Arithmetik und Algebra bis zur Lehre von den Progressionen und Logarithmen einschliesslich (Strodtbeck).
2. Geometrie. Nagel's Lehrbuch wurde nach Lehrsätzen und Aufgaben ganz durchgenommen mit Ausnahme des Anhangs in einer spätern Ausgabe, der weitere Lehrsätze enthält (Strodtbeck).
3. Die wichtigsten Lehrsätze der Stereometrie nach Nagel, mit Lösung einiger stereometrischen Aufgaben (Strodtbeck).
   Für n. 1—3 wurden 3 Stunden wöchentlich verwendet.
4. Mathematische Hilfsstunde nach Bedürfniss bald diesem, bald jenem mathematischen Fach zugewendet, vom dritten bis fünften Semester je in 6 Wochen fünfmal, im sechsten und siebenten je in 2 Wochen einmal (Strodtbeck).

   Im achten Semester wurde unter der Leitung des Prof. Renz eine Gesammtrepetition des nunmehr hinreichend weit geführten Kursus der Mathematik in der Weise vorgenommen, dass wöchentlich in einer Lection theils Abschnitte, welche den Zöglingen zur Privatrepetition bezeichnet worden waren, öffentlich repetirt, theils Aufgaben, welche sie in ihrer Privatstudienzeit zu lösen hatten, nachdem die Arbeiten vor der Lection korrigirt worden waren, in dieser durchgegangen wurden.

V. Physik.

Im siebenten Semester abwechselnd 1 und 2 Stunden wöchentlich (Strodtbeck). Im achten Semester wurde das hauptsächlichste Weitere, was aus der Physik vorzutragen passend erschien, mit der physikalischen Geographie verbunden (Renz).

VI. Philosophische Propädevtik.

In den zwei letzten Jahren abwechselnd 1 und 2 Stunden wöchentlich. Somatische Anthropologie. Psychologie. Logik. (Köstlin).

C. Fertigkeiten.

I. Deklamation, wöchentlich 1 Stunde. Uebungen im Vorlesen, meist aber im Vortrag auswendig gelernter Abschnitte, welche abwechselnd in der einen Woche aus Schriften religiösen Inhalts, in der andern aus sonstigen Büchern von achtbarem Inhalte ausgewählt waren mit Wechsel von Prosa und Poesie (Zeller, Dorsch, Rep. Planck, Kraut, Baur, Renz, Prof.-Verw. Planck). Dreimal im Jahr wurden von einigen Zöglingen Reden, die unter Aufsicht von Lehrern (Professoren und Repetenten) von ihnen selbst verfasst waren, auswendig vorgetragen.

II. Musik, wöchentlich 4 Stunden, seit dem zweiten Semester überdiess sehr häufig eine Hilfsstunde für Zurückgebliebene. Lehrer: Bierhals, Schullehrer. Bis in das dritte Semester auch der von demselben als Hilfslehrer für die Blas-Instrumente angenommene Instrumentenmacher Hetsch.

1. Gesang. Ausser mehrern besonders während der ersten Semester dreistimmig eingeübten Chorälen wurden die von Kocher, Silcher und Frech für den Männergesang gesetzten 136 Choralmelodieen vollständig, und daneben gegen 150 andere zum Theil grosse Singstücke eingeübt, auch einige derselben von den Zöglingen theils allein, theils in Verbindung mit dem hiesigen Musik- und Gesangverein bei dem öffentlichen Gottesdienste ausgeführt.
2. Instrumentalmusik. Neben dem Privatunterricht, den einige Zöglinge in Klavier und Flöte hatten, wurde öffentlicher Unterricht in Violine, Viola, Violoncell, Contrabass, Flöte und Clarinette ertheilt. Eingeübt wurden neben kleinern Stücken mehrere Symphonieen und andere ausführlichere Kompositionen, besonders einige grössere Kirchenstücke.

III. Turnübungen. Wöchentlich 2 Stunden, im letzten Semester 2 halbe Stunden. In die Aufsicht und Leitung theilten sich die jeweiligen Repetenten.